

solymitanis, et circumcisa habitantibus Judaeis; sed ex Parthis, Medis, Phrygiis, Libycis, Aegyptiis, Arabibus, advenis Romanis et aliis. Et qui omnium pastor fuit a Domino institutus, ex omnibus nationibus cogere cepit oves: docuit eos fidei, simul et Apostolicos mores, nempe remanere omnibus, simul convenire in oratione et panis a Christo edocta fractione. »

15. NON ENIM, etc., III ERRI SUNT, CUM SIT HORA DIEI TERTIA. — Ab ortu solis Judaeis dies erat duodecim horarum, quas in quatuor partes dividebant, nimirum primam, tertiam, sextam, nonam, cuique ternas horas assignantes. Prima computabatur ab ortu solis, et complectebatur tres horas; quibus evoluit succedebat tertia, cum totidem horis, post quas in meridie sequebatur sexta, quae teste Plutarcho, lib. VIII *Symp.*, Quest. VI, apud omnes pene Gentes solet esse tempus et hora prandii. Unde et prandium, ait Plutarchus, dicitur quasi *πρωτην*, id est *justa meridiem*, vel *meridianum*. Ita Josephus in Vita sua, et ex eo Baronius, tradunt Judaeos in festis omnibus abstinere solitos usque ad sextam.

Hinc patet, Spiritum Sanctum descendisse in Apostolos tempore matutino, puta hora ab ortu solis tertia: idque primo, quia eo tempore homines post somnum vigiles, et ante cibum jejuni, solent esse aptiores ad recipiendos Dei illapsus. Secundo, quia isdem de causis auditores magis idonei erant ad hoc prodigium considerandum et ad praedicationem Petri audiendam. Tertio, quia illa hora, ait Beda, apud Judaeos erat orationi destinata, uti et nunc est apud Christianos. Quocirca hac hora solent celebrari Missae, quia eadem in orantes Apostolos descendit Spiritus Sanctus, ait Rupertus, lib. X *Officior.*, cap. xviii. Quarto, quia hora tertia, scilicet finiente, crucifixus est Christus, ait S. Marcus, cap. xv, vers. 25, qui proinde eadem hora implevit quod in vita promisit et in cruce promeruit, scilicet missionem Spiritus Sancti, ait S. Cyrillus, *Catech.* 17. Symbolice Hugo: « Hora, ait, tertia significat dari orbi tertiam legem. Prima enim fuit lex naturae, secunda Moysi, tertia Christi. »

12. EFFUNDAM DE SPIRITU REO. — Id est *effundam spiritum meum*, ut verit noster Interpres, Joel, cap. ii, vers. 28. Est Hebraismus. Hoc Joelis oraculum exposui Joelis cap. ii, vers. 28, eo enim spectat: quare quae ibi dixi, hic non repetam.

22. VIRUM APPROBATUM. — *ἀποδοκιμασμένον*, quod Pagninus vertit, *designatum*; Figurina, *exhibitum*; Valabius, *demonstratum*, quem scilicet multis signis ostendit a se esse missum; Tertullianus, lib. *De Carne Christi*, cap. xv, *destinatum*; Syrus, qui *a Deo apparuit*; Noster, *approbatum a Deo*, quem scilicet Deus multis demonstrationibus comprobavit esse suum filium et legitimum. Non ergo necesse est dicere cum Erasmo, nostrum Interpretem legisse *ἀποδοκιμασμένον*, ἀπο τοῦ ἀποδοκιμασμένου, id est *recipio, approbo*; imo haec lectio frigidum et alie-

nam dat sensum. Non enim vult dicere Lucas Christum susceptum fuisse a Deo, sed orbi demonstratum et comprobatum per multa prodigia.

IN VOBIS. — Syrus, *apud vos*; Pagninus et Tigrina, *erga vos*, vestri scilicet causa, ut vestris animis et corporibus consulere vosque in utroque homine salvaret.

VIRTUTIBUS, ET PRODIGIIS, ET SIGNIS. — Haec tria idem, vel pene idem sunt, connotato duxerunt differentia; sed exaggerationis causa junguntur, ut multitudinem et magnitudinem miraculorum Christi significant. Miracula enim vocantur *virtutes*, Graece *δυνάμεις*, quia sunt opera virtutis, id est omnipotentiae Dei, quae hominum et angelorum vires transcendunt. Eadem vocantur *prodigia*, quia portentosa et stupenda sunt, praesertim cum in aere aut caelis fiunt. Eadem vocantur *signa*, quia significant res vel futuras, vel praesentes, v. g. Christum, eorum auctorem, esse Messiam Dei Filium, tum quia Messiam illa patrum praedixit Isaias alicuius Prophetae, tum quia Christus illa hoc fine faciebat, ut iis Judaeis probaret se esse Dei Filium.

23. HINC DEFINITO CONSILIO. — Hoc dicit, ne Judaei putent Christum casu, aut necessitate et violentia crucifixum, q. d. Ne putetis vos vestris viribus vim intulisse Christo, eumque non potuisse manus vestras evadere; fuit id ab aeterno decreto in consistorio S. Trinitatis, ac consequenter ab ipsoem Christo, quia Deus est: libere ergo et sponte mortem ipse subit eique se obtulit. Poterat enim se subducere, poterat vos omnes arefacere, occidere, imo annihilare. Merito Tertullianus, *Apolog.*, cap. xxv, ridet Gentiles, quod deos et Jovem subjicerent fato: « Misera, inquit, illa conjux Jovis et soror, adversus fata non valuit (lucii Carthaginem contra Romanos) plane. Fato stat Jupiter ipse. »

Moraliter S. Chrysostomus: « Petrus, inquit, tentat liberare eos a crimine, ut quondam fratres suos Joseph, a quibus venditus fuerat, dicens, *Genes.* cap. xlv, vers. 8: Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum. » Et cap. l, vers. 19: « Nolite timere; num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me mala, sed Deus vertit illud in bonum, ut exallaret me, etc., et salvos faceret multos populos. » Secundo, *pro definito consilio*, significat quam Christum liberare ac liberare passionem subierit, et a Deo praefinitis cooperatus sit, ait Oecumenius.

ET PRÆSENTIA, — imperite et impie Calvinus, Beza, pro *praesentia*, virtutum, *praesentia et decreto*. Consent enim Deum esse auctorem operum omnium, tam malorum, quam bonorum, v. g. tam proditionis Judae, quam vocationis Petri; tam crucifixionis Christi, quam conversionis S. Pauli. Deum enim esse primam rerum et actionum omnium causam, ac proinde actiones omnes, tam malas, quam bonas, quae in tempore fiunt,

ab aeterno decrevisse et sanxisse ut fierent, atque ex vi hujus decreti Deum eadem in tempore procurare et efficere ut fiant. Unde sequitur, Deum esse auctorem peccati, aequae ac virtutis: quae horrenda etiam Gentilibus et saeculis omnibus inaudita est impietas et blasphemia. Hoc excludit hic Petrus dicens *πρωτην*, id est *praesentia*, hoc est praemotio et praevisione, quae scilicet praevidebat impias Judaeorum voluntates, quae Christum eis a se traditum et obiectum avidae suscipere (quod significat Graecum *λαμβάνειν*) et morte afficerent. Haec ergo fuit series et combinatio praesentiae cum decreto Dei. Praevidebat Deus per suam omniscientiam, Scribas et Phariseos tali tempore et loco fore tam impios et perversos, ut, si Christum eis obijceret, praesertim taxantem eorum scelera, ipsi eum invaderent et crucifigerent. Tunc decrevit et dixit: Volo Christum eis obijcere, ac volo ut ipse crucem et mortem ab eis infligendam patiatur et subeat, ut per eam satisfactio offensa et injuria mihi factae per peccatum Adae et posterorum ejus, itaque redimatur et salvetur genus humanum. Praesentia ergo fuit impietatis Judaeorum, decretum vero passionis Christi et redemptionis nostrae. Hoc est quod Theologi communi axiomate celebrant: *Actio displicuit, passio grata fuit*. Actio, scilicet occisio et crucifixio Christi facta a Judaeis, summe displicuit Deo, quia fuit immane peccatum, imo Christicidium et Deicidium. Passio vero Christi, haec crucem suscipiens, summe placuit Deo, quia fuit actus summae humilitatis, obedientiae, charitatis et religionis, quae se in holocaustum Deo pro nobis obtulit. Vide S. Leonem, serm. 16 *De passione*. Poterat Deus decernere et jubere alicui Regi aut Prophetae, ut Christum immolaret, sicut praecipit Abrahæ immolare filium Isaac. Sed noluit, quia non decuit. Maluit ergo uti ad hoc impie Judaeorum voluntatibus, quas ipse tali tempore certo fore certoque id facturas praevidebat.

Dices: Posita haec Dei praesentia et decreto, infallibile et necessarium erat Christum a Judaeis occidi: praesentia enim Dei falli nequit, ideoque impossibile est ut non eveniat, quod ipse praescit fore. Ergo posita haec Dei praesentia, necessarium erat et fatale Judaeos occidere Christum. Quare occisio eorum fuit necessaria, quomodo ergo eis fuit libera?

Respondeo: duplex est necessitas, aequae ac impossibiles: una antecedens actum liberum, sive consensum liberi arbitrii; altera eundem consequens. Antecedens tollit libertatem facitque ut consensus voluntatis non sit liber, sed necessarius. Tale est Dei decretum, aequae ac gratia efficax et praedeterminans, quam ponit Calvinus. Haec enim se sola actum producit in voluntate, ea nihil libere cooperante. Consequens necessitas non tollit libertatem actus, sed eam sequitur et vrasupponit. Talis est necessitas praesentiae Dei;

haec enim sequitur actum liberum eumque praesupponit. Ideo enim vidit Deus Judaeos occisuros Christum, quia ipsi libere eum erant occisuri, si ipse illis eum obijceret; non vero e contrario, ideo Judaei occiderunt Christum, quia Deus praeviderat illos eum occisuros, hoc enim falsum est. Visto enim sequitur et praesupponit rem visam, quasi suum obiectum: quod enim non est, videri nequit: prius ergo necesse est ut sit, ac deinde quasi posterius sequitur, ut videri possit, actuque videatur, uti recte docet S. Augustinus, lib. V *Civit.*, cap. x.

Instabis primo: Praesentia Dei est ab aeterno, actus vero liber fit in tempore: Prior ergo est praesentia, quam sit actus liber. Ergo necessitas praesentiae est antecedens libertatem, non consequens. Ergo libertatem ab actu libero tollit, eique necessitatem imponit, quia quidquid antecedit actum liberum, ita ut ex eo necessario sequatur actus, hoc actum determinat facitque necessarium, non liberum. Talis autem videtur esse Dei praesentia.

Respondeo: Necessitas praesentiae est antecedens tempore, sed consequens causalitate. Antecedit enim actum liberum tempore, imo antecedit ab aeterno, eundem tamen consequitur objective, et in genere causae materialis. Deus enim sua praesentia praeverit existentiam rerum futurarum, atque eminus quasi ex alta specula aeternitatis praevideat actus, qui post nulla saecula futuri sunt. Itaque tempore eos antecedit, sed objective eos sequitur. Prius enim est rem esse futuram, quam futuram a Deo praevideri; sicut prius est hominem ambulare, quam a me videri ambulare. Sicut ergo visio mea, qua video Petrum ambulatorem, illi non imponit necessitatem ambulandi, quia, ea non obstante, potest quandoque que vult cessare ab ambulatione eamque sistere, ita et praesentia Dei non imponit necessitatem actibus liberis futuris: quia, ea non obstante, potest voluntas quandoqueque vult ab his cessare imo contrarium facere, itaque tollere Dei praesentiam, ac facere ut eos amplius Deus non praeviderit. Ergo necessitas praesentiae simpliciter non est antecedens libertatem, sed consequens, quae consensum voluntatis liberum sequitur et praesupponit, etiamsi tempore, imo aeternitate eam antecedat.

Instabis secundo: Impossibile est haec duo inter se componi, simulque consistere et esse vera, nimirum Deum praescire actum futurum, et tamen illum non fore, sive non esse futurum. Ergo postquam quod Deus praescit actum futurum, necessario fit; ponitur autem Deus nunc eum praescire, ergo nunc necesse est ut quandoque fiat sitque futurus.

Respondeo: Haec impossibilitas et necessitas est ex suppositione actus futuri, ideoque consequens, non antecedens. Ideo enim impossibile est ut non sit futurum, quod Deus praescit futurum, quia

impossibile est ut id quod futurum est, ideoque præscitur a Deo esse futurum, non sit futurum; sed sicut futurum est libere, ita et Deus prævidet illud libere futurum: nullam ergo ei sua præscientia necessitatem imponit, qua necessario sit futurum. Hæc ergo necessitas non est alia quam ea, qua res dum est, necessario est; dum est præterita, necessario est præterita; dum est futura, necessario est futura: quæ rem rei que existentiam consequitur; ideoque non tollit libertatem, sed eam præsupponit. Sic Antichristus peccabit libere; posito tamen quod peccabit, necessarium est ut peccet. Impossibile enim est, ut idem simul sit futurum, et non futurum, sive ut idem simul sit, et non sit. Sic posito quod videam Petrum ambulatorem, necessarium est ut ambulet: nec enim videre possum id quod non est; et tamen libere ambulat Petrus, quia potest visionem meam non ambulandum tollere.

Instabis tertio: Id quod videtur et prævidetur, jam est extra causas, jamque existit, et est in facto esse: ergo impossibile est ut non existat, et sit infectum: ergo necessario existit, non libere.

Respondet: Actus liber dupliciter potest spectari: primo, ut est in fieri; secundo, ut est in facto esse: priori modo est libere posteriori necessarius: libere enim egreditur voluntatis sit eum elicere, vel non elicere, imò contrarium elicere; postquam tamen egressus est, non potest non esse egressus; utrumque sua præscientia prævidet Deus: prævidet enim eum libere egredi a voluntate, et postquam jam egressus est, non posse non esse egressum, ideoque priori consideratione esse liberum, posteriori necessarium: prævidet enim rem ut in se fit, omnemque ejus et dum incipit, et dum completur seriem modumque contemplantur, qui iis se mire torquent: sed unica distinctione necessitatis in antecedentem et consequentem, et altera, qua consideratur actus nunc in fieri, nunc in facto esse, res tota facilis est clareque perspicitur, æque ac concordia gratiæ efficacis et prædestinationis cum libero arbitrio; utraque enim innititur præscientiæ Dei. Gratiæ enim efficacis est, que ita allicit mulcetque liberum arbitrium, ut illi persuadeat elicitque effectum, puta liberum arbitrii assensum: quare efficax non est, et consequenter prævideri nequit, nisi prævidetur quod liberum arbitrium libere sine se ab ea flecti, quodque eam acceptabit edicere libere consentiet, eam facile possit eandem refutare illique dissentire, si velit. Idem est de prædestinatione, que gratiæ efficacis, et consequenter præscientiæ Dei innititur. Prædestinatio enim non est aliud quam gratiæ preparatio, puta decretum Dei, quo decernit, v. g., Petro dare gratiam efficacem eamque continuare usque ad finem vite. Hoc non intellexit Calvinus, ideoque cen-

suit præscientiam et prædestinationem Dei esse quasi fatum inevitabile, quod homini libero adimat arbitrium: sicut ex adverso Cicerio ita liberum statuit arbitrium, ut Dei negaret præscientiam; utque tolleretur fatum, sustulit providentiam, atque ita dum homines fecit liberos, fecit sacrilegos, ait S. Augustinus, lib. V. De Civit., cap. ix et seq.

Ex dictis sequitur, falso plebeios nonnullos culpasse præscientiam Dei, in eamque conjicere suas et sortes et casus, quin et damnationem vel salutem. Narrat et reprehendit S. Augustinus, lib. De Bono persever., cap. xv, quemdam sui monasterii Religiosum, qui eum de defectibus suis argueretur, respondebat: «Qualiscumque nunc sim, talis ero qualem me Deus futurum esse præscivit.» Melius dixisset: «Talem me Deus fore præscivit, qualis vel per me peccando, vel per gratiam Dei bene agendo esse voluero.» Nam suo illo axiomate negligens curam sue salutis in Deum rejiciens, tandem monasterium deserens, factus est velut canis reversus ad suum vomitum.

TRADITUM. — *ἡδύκρον*, id est *expositum*; Syrus, *segregatum*. Nota: Traditus est Christus, tum a Patre, Rom. VIII, 32, et a seipso, Galat. II, 20; tum a diabolo, Joan. XIII, 2, ac a Juda, a Judeis, a Pilato in mortem et crucem: sed passive et objective a Patre et a se; a diabolo vero cæterisque ejus asscelis active et positive. Rursum fine diverso, nam a Patre et a se traditus est, ut mundum salvaret; a diabolo, ut Judeos ad Christi paritatem impelleret; a Juda, per cupiditatem pretii; a Judeis, per malignitatem; a Pilato, per metum. Ita Origenes et S. Thomas, in *Matth.* XXVI.

PER MANUS INQUORUM. — Hæc verba referri possunt tum ad *traditum*, quod præcessit: Christus enim traditus fuit per manus iniqui Judei et satellitum ejus, Annæ et Caiphe pontificibus; tum ad *affligentes*, scilicet cruci, ut habet Syrus; Christus enim cruci affixus est per manus iniquorum militum.

24. QUEM DEUS SUSCITAVIT, SOLUTIS DOLORIBUS INFERNI. — Το «inferni» legit quoque Irenæus, lib. III, cap. XII; S. Augustinus et alii apud eum, epist. 99 ad Evodium, et Syrus qui vertit, *solutis funibus inferorum*. Hebr. enim *חבל* *chebel*, et funem, et dolorem significat: quia dolor est quasi funis ligans, arcans et stringens, acriterque puniens afflicto. Verum Græca habent *ἡδύκρον* *ἡδύκρον*, id est *solvens dolores mortis*, idque clarior et planius est. Sed eodem reseredit, nam idem quasi est mors et infernus, quia olim ante Christum omnes qui moriebantur, ibant in infernum. Unde tunc teneri morte, vel inferno, idem esse videbatur: anima enim post mortem ibat ad infernum, corpus ad sepulcrum. Unde de utroque resuscitando subdit, vers. 27: «Quoniam non derelinquens animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.»

Quæres, qui sunt dolores mortis et inferni, quos Deus solvit suscitans Christum? Primo, Calvinus censet esse penam, anxietatem et desperationem, quam damnati patiuntur in inferno. Hanc enim nobis debitam, in se luendam suscepisse Christum, ideoque in cruce desperasse, dum clamavit: «Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?» Verum hoc non minus stolidum est, quam blasphemum et impium, uti ostendi Hebr. v, 7.

Secundo, alii censuerunt hic significari quod Christus moriens liberavit damnatos ex inferno, idque videtur innuere S. Augustinus, epist. 99. Verum hæc est heresis, quam recenset et refutat idem S. Augustinus, hæres. 79, et S. Gregorius, lib. VI, epist. 179. Melius alii censent Christum morientem vel omnes, vel plurimos ex Purgatorio liberasse eisque dedisse primam et plenariam indulgentiam, uti dixi *Zachar.* ix, 11.

Tertio, alii ex Syro censent dolores vel funes mortis hic vocari vires mortis, quibus quasi funibus corpus Christi mortui ligabat et detinebat in sepulcro, animam vero in inferno.

Quarto, Cajetanus ex S. Thoma censet dolores mortis et inferni vocari penalitates, quas naturaliter et communi sorte ac jure patiebatur Christi corpus in sepulcro, et anima in inferno, quæ due erant. Prior, quod anima esset separata a corpore, quasi a suo compare, ad quod naturalem habet inclinationem, itaque quasi esset altera sui parte trunca et mutila. Posterior, quod detineretur in loco tam viri et infimo, qualis est sepulcrum et infernus. Verum dolor et pena omnis Christi finita est in ejus morte. Et certum est Christi animam non fuisse detentam in inferno, nec corpus in sepulcro in vindictam, vel supplicium, aut satisfactionem alicujus peccati; sed fuit hoc corpori mortuo quasi naturæ debitum et commoditas, animæ vero fuit potius honor et triumphus: quia per eam Christus quasi victor inferni et liberator Patriarcharum, eo descendit.

Quinto, alii respondent quod Christus dolores vel funes inferni paratos ut se constringerent, sicut alios omnes morientes constringerant et constringunt, solvit, id est discussit et dispulit, fecitque eos in se constringeretur. Rursum de facto solvit eos in aliis qui in limbo vel Purgatorio iis constricti tenebantur, dum eos inde liberavit et eduxit. Ita S. Augustinus, epist. 99. Hic sensus probabilis et appositus est.

Sexto, S. Chrysostomus et Œcumenius respondent dolores hos non fuisse Christi, nec fideliū, sed ipsius mortis: «Mors enim, inquit, illum detinens doluit, sicut cetus absorptio Jona quasi indoluit, ideoque eum evomuit.» *g. d.* Deus per Christi resurrectionem ipsam mortem a doloribus quasi parturientis liberavit: mors enim et infernus suo utero tantum Christi onus et pondus ferre non volentes, quasi dolorem patiebantur cum eum clauderent, quem tenere et capere

non poterant. Verum hoc subtilius est quam solidius et germanius.

Septimo ergo et genuine, dolores mortis et inferni metonymice vocantur dolores gravissimi, qui hominibus mortem afferunt eorumque animas in infernum mittunt, ut ibi quasi in tenebris et carcere ineluctabili perpetuo detineantur et degant. Hinc illud *Psal.* XVII, 3: «Circumfuderunt me dolores mortis, etc., dolores inferni circumfuderunt me, præoccupaverunt me laquei mortis.» Quo alludit hic Petrus. Unde pro *dolores mortis*, Interpres, II *Reg.* XXII, 5, vertit, *contritiones mortis*; et pro *dolores inferni*, vertit *funes inferni*. Hebræi enim dolores metaphorice vocant *חבל* *chable*, id est funes, quia instar funium stringunt et affligunt. Ita S. Basilius et Theodoros, in *Psal.* XVII, et Suarez, III *part.*, *Quest.* LI, disp. XLIII, sect. 1.

Sensus ergo est, *g. d.* Deus suscitavit Christum, solutis doloribus mortis et inferni, hoc est, superata per Christi suscitationem morte et inferno cum omnibus doloribus illam comitantibus, puta tum præcedentibus in agonia, passione et cruce; tum qui illam subsequi solent in inferno, *g. d.* Deus per Christum resurgentem dissolvit et destruxit mortis et inferni regnum, cum omnibus suis doloribus et ærumnis. Rursum per hypallagen, dolor mortis et inferni accidit potest mors dolorosa, sive dolor mortalis et infernalis; qualis est morbus vel cruciatus lethalis, qui animam e corpore sua acerbitate avellit et extorquet, *g. d.* Per resurrectionem Deus solvit et abolevit mortem, que in Christo fuit dolorosissima. Huc accedit expositio Riberæ in *Osee* cap. XIII, vers. 14, qui sic explicat: «Solutis doloribus mortis,» id est solvens et irritans id, quod per tot dolores et cruciatus mors effecerat, ut scilicet anima Christi a corpore separaretur, dum eam separatam rursum in resurrectione corpori univit. Mors enim et infernus suis ærumnis et doloribus, quasi funibus, videbantur Christi animam et corpus quasi colligata et incarceratione detinere, ut non videretur esse spes inde exeamdi et remeandi ad vitam. Sed Deus hæc vincula et hæc funes dissolvit, dum Christum ex iis ad lucem et vitam reditivum reduxit. Morti, sive inferno dat epithetum et titulum «dolorum,» tum quia mors in se est plena doloribus: unde «terribilium omnium terribilissimum est mors,» ait Aristoteles; tum quia proprie significat dolores Christi, quos in passione et morte habuit plurimos et maximos, adeo ut superarint omnes dolores omnium Martyrum. Ita S. Leo, serm. 4 *De Ascensione*: «Post passionem, inquit, ruptis mortis vinculis, que vim suam in eum qui peccati erat necius, quendo viderat perdidit, infirmatis in virtutem, mortalitas in immortalitatem contumelia transiit in gloriam.»

Tropologie S. Hieronymus et S. Augustinus, in *Psal.* XVII: Dolores inferni, inquit, sunt

invidie detrahentium et calumniantium et exprobrantium, que mortem infernalem operantur, animamque in mortem secundam et infernum præcipit, quales a Scribis et Judæis passus est Christus, etiam pendens in cruce, dum ab eis audit: « Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo reedificas illud: salva temetipsam. Si Filius Dei es, descende de cruce, » *Matth. cap. xvii, vers. 40.*

24. JUXTA QUOD INFG. SIBILE ERAT TENERI ILLUM AB EO, — inferno scilicet et morte: tum quia Christus erat innocentissimus et sanctissimus; mors autem et infernus sunt pena et carcer peccatorum; tum quia Christi divinitas, æque ac humanitatis vis et robor claudi et detineri nequibant morte et inferno, sed potius Christus quasi victor, dominator et triumphator ea sua manu et potestate clausit, imo dissolvit, eneravit, abolevit.

25. DAVID ENIM DIXIT IN EUM. — *De eo*: ita Syrus, puta de Christo. Vel, « in eum, » id est in persona ejus, ait Cajetanus, David enim in Christi persona hæc dixit:

PROVIDEBAM DOMINUM IN CONSPECTU MEO SEMPER. — *q. d.* In omni mea actione, passione, cruce et morte prospiciebam ad Dominum eumque mihi proponebam, fortiter fortique spe omnia agens et sustinens, quasi decertans pro Deo in ejus conspectu, perinde ac milites acriter pugnant, dum sunt in conspectu sui ducti. Sciebam enim me jugiter a Deo conspici, ac proinde vicissim jugiter eum conspiciebam, dicens eum Eia: « Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, » *III Reg. cap. xvii, vers. 1*; ac proinde omnem meam spem, amorem et affectum in Domino me continente defixi, certus quod ex omni tribulatione me liberabit et a morte ad vitam gloriosam suscitabit. Unde subdit: « Quoniam a dextris est mihi, » tanquam hyperaspistes, protector et propugnator, « ne commovear, » etc. « Et caro mea » crucifixa, mortua et sepulta « requiescet in spe » resurrectionis, quod scilicet tertio die eam a morte ad vitam suscitabis. Ita Sancti omnes ambulaverunt in conspectu Dei, cogitantes se semper et ubique præsentem habere Deum, ac in ejus presentia omnia operari et pati, ideoque per omnia studeverunt ei placere. Hic enim acer est stimulus ad virtutem. Unde S. Ephrem, serm. *De Virtute*, cap. x, asserit, « continua Dei recordatione animæ passiones recedere, instar maleficorum prælores accedente. » Hinc Deus præcepit Abraham: « Ambula coram me, et esto perfectus, » *Gen. xvii, 1*. Vide ibi dicta. S. Basilii, Admonit. *ad filium spiritalem*: « Memento, ait, te sub Domini conspectibus stare, qui ocula cordis prospicit et abditia mentium novit. Quodcumque opus inchoaveris, primo invoca Dominum, et ne desinas gratias agere, cum perfecteris illud. Quære Dominum, et invenies eum: nec dimittas eum teneris, ut copuletur mens tua in amore

ejus. Hoc stude in vita tua, ut orationem puram offeras Deo. Qualem cupis erga te esse Dominum, talis esto ipse erga conservatum tuum. In omni opere quod cogitas facere, prius examina in secundum Dominum est, quod cogitas. Et si rectum est coram Deo, perfice: si vero adversum fuerit repertum, amputa illud ab anima tua.»

A DEXTRIS EST MIHI. — *q. d.* Mihi Christo, qua homo sum, Deus Pater proxime adest et assistit, ut me protegat, conservet et resusciet; Deus vero Filius mihi assistit quasi hypostasis, et suppositum me sustentans, per unionem hypostaticam, quam nunquam dissolvit: ac proinde esto in morte separatur anima a corpore, tamen divinitas utrique manebit unita; perinde ac qui panem manu frangit, partes panis a sese invicem separat, sed utramque manu retinet, unam dextra, alteram sinistra.

NE COMMOVEAR. — « Sed stabiliter in eo permaneam, » ait S. Augustinus, in *Psalm. xv.*

27. QUONIAM NON DERELINQUES ANIMAM MEAM IN INFERNO. — Ergo de fide est Christi animam post mortem descendisse ad inferos, ut habet Symbolum Apostolorum. Ita S. Ambrosius, serm. *74 De Mart.*; S. Hieronymus, in *Psalm. xv*; S. Augustinus, *epist. 99*, et alii passim. Inepte ergo et ^{Christi} ^{vere de-} ^{cessit in} ^{Liter-} ^{num.} imple Beza secutus Calvinum, verit: « Non derelinques cadaver meum in sepulcro; » animam in cadaver, infernum in sepulcrum inaudita metamorphosi hysteronica levitate transmutas. Negat enim ipse cum suo Calvino Christum descendisse ad inferos, itaque reipsa tollit hunc articulum e Symbolo: « Descendit ad inferos, » dum eum ita interpretatur, ut idem sit quod descendit ad sepulcrum: explicat enim, inquit, (imo obscurat, depravat et evertit) id quod præcessit: « Et sepultus est. » Inepte, inquam. Nam, ut alia taceam, opponitur hic anima carni. De carne enim præcessit: « Caro mea requiescet in spe; » et sequitur: « Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, » scilicet in sepulcro. De anima vero per antithesin subjungit: « Non derelinques animam meam in inferno. » *Secundo*, quia Græcum *ἐν*; semper *infernum*, nunquam *sepulcrum* significat. Vide Bellarminum, lib. IV *De Anima Christi*, cap. xii. Nota *et* quoniam: hæc enim vox dat causam ejus quod præcessit: « Et caro mea requiescet in spe, » *q. d.* Ideo caro mea secure in sepulcro quiescet in spe resurrectionis, quoniam tu, Domine, non derelinques animam meam in inferno, uti prædixisti et promissisti per Davidem, *Psalm. xv*, sed tertio die eam ex inferno ad sepulcrum reduces, ut carnem rursum induat, vivificet et glorificet.

Inepte rursus Calvinus et Brentius censent descendere in infernum idem esse quod exstingui, perire et interire, *q. d.* inquit Calvinus: Non sines animam meam interire et exstingui, quia divinitate suffulta est. Unde recte inferas ceterorum hominum animas, quæ unione hy-

postatica divinitatis non suffulciuntur, interire et exstingui, perinde ac animas brutorum. Vide hic ut Calvinus viam sternat atheis et atheismo.

NEC DABIS (וְלֹא תִתֵּן) SANCTUM TUUM, id est non sines, non permittis) SANCTUM TUUM. — Græce est vox masculina *τὸ ἅγιον*, quæ notatur Christus, qui est Sanctus per antonomasiam, utpote Sanctus Sanctorum, *q. d.* Non sines, o Domine, me Christum secundum corpus corrumpi, quia sum Sanctus Sanctorum, quem non deest corruptio, sed incorruptio et immortalitas. Ubi nota: Sola unio hypostatica non sufficiebat (esto id exigebat) servare Christi corpus a corruptione; sed præter eam requirebatur actio physica divinitatis, quæ corpus conservaret, et tueretur ab aere, humoribus aliisque rebus quæ corpora mortua corrumpere et putrefacere solent. Unde S. Augustinus, in *Psalm. xv*, hunc locum sic exponit, *q. d.* « Neque sanctificatum corpus, per quod alii sanctificandi sunt, corrumpi patieris. » Id ipsum ad sanguinem a Christo patiente effusum extendunt Durandus et Gabriel, quos citat et sequitur noster Suarez, *III part.*, tom. II, disp. *xlvii*, sect. 3, scilicet sanguinem hunc in triduo mortis Christi non fuisse corruptum, uti corrumpi solet sanguis ab aliis hominibus effusus, eo quod eum a corruptione tutaretur Verbi divinitas, cui, æque ut ante, manebat hypostatice conjunctus, ut fuse ibidem probat Suarez, atque id definitum videri a Clemente VI et Pio II. Contrarium tamen, scilicet sanguinem Christi in triduo mortis ejus corruptum fuisse, mansisse tamen unitum hypostatice Verbo, non est improbabile: licet enim corruptus fuerit quoad formam vitalem (sive illa sit anima, sive alia) quam habuerat in corpore Christi vivo, idem tamen mansit incorruptus quasi sub forma cadaveris sibi accommodata; atque eo modo quod mansit ille sanguis quasi mortuus, seu quasi cadaver sanguinis, ita pariter mansit unitus Verbo.

VIDERE, — id est sentire, experiri. Est catachresis: visus enim omnium sensuum nobilissimus, pro quolibet sensu ponitur in Scriptura: hic pro tactu ponitur.

CORRUPTIONEM. — Christi viventis corpus vidit corruptionem, quia mortuum est: mors enim est hominis et vitæ corruptio. Christi vero morientis corpus non vidit corruptionem, Græce *διαφθορά*, puta putrefactionem et incinerationem. Ceterorum enim hominum corpora post mortem putrefiunt: ex putrefactione nascuntur vermes et bufones, qui carnem usque ad ossa deponuntur: que facta ipsi, deficiente alimento, moriuntur, pubescunt, et in sua elementa, terram et aquam, resolvuntur. Cadaver ergo abit in putredinem et vermes, inde in terram, itaque impletur prima Dei in hominem peccantem sententia: « Pulvis es, et in pulverem reverteris, » *Gen. iii, 19*. Christi vero corpus ab hac sententia immune fuit, tum quia peccato immune et sanctum; tum quia

hypostatice unitum erat Verbo; tum denique quia passione sua meruit dominium mortis et corruptionis, ejusque exterminium per suscitacionem sui et nostri.

28. NOTAS MIHI FECISTI (Syrus, manifestasti, ostendisti, exhibuisti) VIAS (Hebr. et Syriace, viam) VITÆ. — id est, me ex morte et inferno ad vitam reduxisti et revocasti. Resurrectio enim et glorificatio corporis sunt viæ quibus Christus progressus est ad vitam immortalem et gloriosam, nosque progredi faciet in universali resurrectione. Unde pro « notas mihi fecisti, » Hebr. *עָרַתְךָ לְיָדַי הַיּוֹמִינִי*, quod cum sit futurum in Hiphil, proprie significat, *facies me docere*, notas facere, demonstrare vias vitæ, ut scilicet eas ostendam et exhibeam, tum Patriarchis et Sanctis mecum resurrecturis, tum meis fidelibus in die iudicii mea virtute resurrecturis. Ita vocatur *vita vitæ*, tum quia dueunt ad novam resurgentium vitam; tum quia dueunt in cælum, que est terra vitæ et viventium. Hinc Theologi docent quod Christus in hac vita fuerit viator usque ad resurrectionem, operando et merendo nobis salutem, sibi resurrectionem: esto simul fuerit comprehensor, quia anima ejus videbat Dei essentiam, eaque visione erat beata.

Topologie S. Augustinus, in *Psalm. xv*, exponit, *q. d.*: « Notas fecisti per me humilitatis vias, ut ad vitam redirent homines, unde per superbiam ceciderant; in quibus quia ego sum, notas mihi fecisti. » Christus enim est via, veritas et vita. S. Bernardus, serm. *1 in festo Apost. Petri et Pauli*: « Putas, ait, parva res est, scire vivere? Magnum aliquid, imo maximum est. Non vivit qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus; quoniam non est hoc vivere, sed vitam confundere et appropinquare usque ad portas mortis. Bonam autem vitam ego puto et mala pati, et bona facere, et sic perseverare usque ad mortem. » El paulo post: « Arbitror autem quod tu, qui in congregatione es, bene vivis, si visis ordinabiliter, sociabiliter et humiliter. Ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo. Ordinabiliter, ut in omni conversatione tua sollicitus sis observare vias tuas, et in conspectu Domini, et in conspectu proximi: cavens et tibi a peccato, et illi a scandalo. Sociabiliter, ut studeas amari et amare, blandum te et affabilem exhibere; supportare non solum patienter, sed et libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum quam corporum. Humiliter, ut cum hæc omnia feceris, spiritum vanitatis studeas exsufflare, qui ex hujusmodi nasci solet; et quantumcumque illum senseris, negare consensum. » El S. Ambrosius, serm. *22*: « Martyres, inquit, sicut viam passionis Christi experti sunt, ita experienter et vitam. Scriptum est enim: Notas mihi fecisti vias vitæ. Hoc utique in resurrectione ex persona dicitur Salvatoris, ut qui dum post mortem ab inferis redit ad superiores,

incipiat notam habere viam vite, que ante habebatur ignota. » Et mox : « Notas enim mihi fecit vias vite, cum me docuist fidei, misericordiam, iustitiam, castitatem. His enim pervenitur itineribus ad salutem : et fleet nos in resolutione corporis mortis umbra circumdet, tamen cressus suos vita non deserit, sed inter ipsas medias inferni leges, incontinenter Christi virtutibus ambulamus. Unde ait S. Propheta : *Nam etsi ambulaturo in medio umbræ mortis, non timebo mala quoniam tu mecum es.*

REPLEBIS ME JUCUNDITATE CUM FACIE TUA, — id est coram facie tua, presento facie tua : ita S. Hieronymus et Chald. ; puta, cum faciem tuam, id est te mihi presentem et benevolentem exhibueris, q. d. Replebis me omni gaudio et letitia, tam in corpore, quam in anima, cum mihi resuscitato ostendes faciem tuam, ut jam non tantum anima, uti factum est in triduo mortis mee, tuam faciem videat eaque beatur ; sed et corpus per animam eandem conspiciat eaque fruat : presertim quia ab ea, mediante gloria anime, haud impeditur claritatem alique dotes gloriosas. Unde S. Hieronymus, in *Psalm. xv*, vertit : « Ostendes mihi plenitudinem letitiarum ante vultum tuum. » Quocirca subdit Psaltes : « Delectationem in dextera tua usque in finem, » q. d. Sedens ad dexteram tuam, id est in summis gloriae tui bonis, tibi proximus et vicinissimus, perennes inde delectationes hauriam.

29. DE PATRIARCHA DAVID. — Probat citatum locum, *Psalm. xv* : « Nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem, » non competere Davidi, eo quod ipse defunctus, sepultus et corruptus sit, sed Christo post triduum mortis resurgenti (1).

ET SEPULCRUM EIUS EST APUD NOS. — q. d. Corpus Davidis usque ad hunc annum jacuit in sepulcro : ergo corruptum, putrefactum et in pulverem redactum fuit. Ergo David non de se, sed de Christo prophetavit, cum dixit : « Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem (2). » Nota : Cante dicit S. Petrus : « Sepulcrum ejus est apud nos, » non corpus, aut caro ejus : quia videtur David paulo ante inter alios Patriarchas, puta Adam, Abraham, Isaac, Jacob, Moysen, eto, cum Christo ex sepulcro resurrexisse, *Matth.*

(1) « Licet audeat dicere ad vos de patriarcha David. » Pro audente Grecum habet *παρρησια*, que vox sappissime in *Actis* est *libertas dicendi*. Benigna igitur est compellatio, concilians audientium animos, quod singularis esset et eximia de Davide existimato iudeorum, quo tamen illa recitata accipi non posse, Petrus erat demonstraturus ; q. d. Salvo respectu, que David deo et ipse, id tamen libere proferri licebit, etc.

(2) « Et sepulcrum ejus apud nos est. » Quum alia sepelira extra urbem essent, monumentum David et familia ejus in ipsa urbe eret (Vid. *Neh. iii*, 16), et hujus haud semel mentit Josephus, e. g. *Antiq. XIII*, viii, 4 ; *XVI*, vii, 1.

xviii, 33, ac proinde amplius non fuisse in sepulcro. Nam verius est Sanctos qui cum Christo resurrexerunt, non rediisse ad mortem et sepulcrum, sed resurrexisse ad vitam immortalem atque cum Christo in corpore et anima gloriosos et triumphantes ascendisse in celum. Hoc enim decebat triumphum Christi, ut cum in corpore glorioso triumpharet, haberet pariter Sanctos in corpore triumphi sui assecras et stipatores, quos quasi captivitatem et praedam morti ereptam, triumphans secum duceret in celum. Hoc etiam decebat ipsos Sanctos, quibus sane miserius fuisset rursus mori, quam optabile resurgere ad vitam tam brevem. Adde, anime eorum jam erant beate, ac proinde par erat eas non uniri corporibus nisi gloriosis et immortalibus. Ita Origines, S. Hieronymus, Beda, Anselmus, D. Thomas, in *Matth. xxvii*, 38 ; Clemens Alexandrinus, lib. VI *Strom.* ; Eusebius, lib. IV *Demonstr.*, cap. XII ; Epiphanius, *heresi* 75, et passim Recentiores.

30. DE FRUCTU LUMBI EIUS. — In lumbis enim est origo seminis, quod ex eis per venas in membra generationi destinata descendit. Fructus ergo lumbi, vel ventris, ut vertit Syrus, sunt proles et posterit. Nota : Textus Grecus hic addit *καὶ ἡ ἕλκη ἀνεβήκεν ἐξ αὐτοῦ*, q. d. Sciens quod Deus sibi jurasset de fructu lumbi ipsius, nimirum Christum, secundum carnem suscitaturum, vel resurrecurum (nam *ἡ ἀνεβήκεν*, vel active suscitaturum, vel passive resurrecurum veritas), quem colloca- ret super sedem ejus. Vel, ut *Ecumenius*, q. d. Cum jurasset de fructu ventris ponere super sedem ejus, secundum carnem resurrecurum Christum præviciens, locutus est de ejus resurrectione. Verum hæc verba nec habet Syrus, nec noster Interpres, et sine iis sensus constat. Unde Erasmus suspicatur ea in Greco ab eruditio quoquam, cui sensus non videbatur esse adeo clarus et absolutus, fuisse adjecta in margine, indeque postea in textum esse translata.

SEDERE SUPER SEDEN EIUS, — occupare regnum Davidis patris sui in ejusque throno quasi regem sedere. Hoc Christi regnum non fuit temporale, uti Davidis, sed spirituale et æternum. Regnum ergo Christi est Ecclesia, primum in Judea, deinde per totum orbem sparsa, jam militans, que in fine mundi erit triumphans. Christus enim stirpem et regnum Davidis collapsum restituit, sed augustius et nobiliss : nam pro terreno caeleste, pro caduco perenne substituit. Hanc regni sui instaurationem a Prophetis promissam, avide Judei tempore Christi exspectabant, uti etiam nunquam exspectant. Unde Gabriel nuntians deipara Christi conceptionem et incarnationem, *Luca* 1, 32 : « Hic, inquit, erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. » Quare frustra miseri et abjecti Judei hunc sui Messie regnum carnale, exiis et caducum præstolantur.

31. PROVIDENS, — *προβλεπων*, id est *prævidens*. Ita Syrus.

QUIA NEQUE DERELICTUS EST IN INFERO, — quoad animam, sed illa ex eo egrediens ad sepulcrum carnem suam resumpsit, et cum ea gloriosa resurrexit.

33. DEXTERA IGITUR DEI EXALTATUS, — dum per dexteram, id est potentem Dei virtutem et operationem, quasi victor et triumphator peccati, mortis, demonis et inferni, gloriose resurrexit et ascendit in celum.

PROHISSIONE SPIRITUS SANCTI ACCEPTA A PATRE. — q. d. Christus accepit a Patre potestatem promittendi et mittendi Spiritum Sanctum, vel accepit a Patre, ut posset mittere in Apostolos Spiritum Sanctum quem eis promiserat. Nam Deus Pater quasi promisit Christo, Christus nobis, Spiritum Sanctum.

EFFUDIT HUNC (SPIRITUM SANCTUM) QUEM VOS VIDETIS (IN LINGUIS IGNEIS) ET AUDITIS, — per os nostrum variis linguis loquentem magna Dei. Hinc Patres probant contra Arianos, Christum esse Deum. Nam « quomodo Deus non est, qui dat Spiritum Sanctum? Imo quantum Deus est, qui dat Deum? » ait S. Augustinus, lib. XV *De Trinitate*, cap. xxv.

34. NON ENIM DAVID ASCENDIT IN COELUM. — q. d. Ergo David cum ait, *Psalm. cix*, uti jam citabo, « Sede a dextris meis, » non de se loquitur, sed de Christo resuscitato, quia ascendit in celum, sed etque ad dextram Patris, ac inde effudit Spiritum Sanctum in nos. Romæ quidam eruditus, Habbino-Christianus, mihi assertit S. Petrum hoc dixisse contra *πυθαγορας* Pythagoræ : censuit enim Pythagoras animas de uno corpore in aliud transmigrare. Qui error Hebræos quoque pervasit : unde dicunt ipsorum Cabalists, Adam tres habere literas, que singula virum illustrem significant : prima est A, que significat Adamum ; secunda est D, que significat Davidem ; tertia est M, que significat Messiam, sive Christum. Hoc ergo tres facere Adam, id est unum quasi hominem ; eo quod anima Adæ migravit in Davidem, et ex Davide in Christum. Quocirca S. Petrum hunc errorem hic perstringere, ac dicere animam Christi, non Davidis, ascendisse in celum. Ita ipse. Nam alias, inquit, quis nescit David esse mortuum, nec ascendisse in celum? Aut quis alius unquam deliravit dixitque quod David ascenderit in celum, ut Petro id ipsum hic refutandum esset? Favet, quod simili ratione Herodes palabat animam Joannis Baptiste, a se occisi, transmigrationem in Christum, *Matth. xiv*, 2. Et Judei animam Phinees censent transmigrasse in Eliam, Eliæ vero animam in Joannem Baptistam. Unde eum interrogant : « Elias es tu? » *Jerm. i*, 21.

DIXIT AUTEM IPSE. — Hinc patet quod David sit auctor *Psalm. cix*, non Melchisedech, nec Eliezer, sicut dicitur Abraham, aut quis alius, uti fingunt Rab-

bini. Canit enim David illo psalmo non Abrahæ, nec Davidis, nec Ezechias, uti somniant Judei, sed Christi regnum per resurrectionem et ascensionem in celo et in terra, quo ex Sion eripit regnare in omnes gentes, donec impios conerit in die judicii.

DIXIT. — Hebr. *אמר* *neum*, id est dictum, effatum, pronuntiatum, decretum, oraculum Domini de Christo Domino meo.

DOMINUS (DEUS PATER) DOMINO MEO. — Hebr. *אדוני אלהי*, q. d. Christo, qui meus, puta Davidis, cum sit filius, est tamen et Dominus, non tantum qua Deus est, sed et qua homo. Nam qua homo, jure et titulo redemptionis, æque ac unionis hypostaticæ, qua in immensum omnes homines et angelos antecellit, omnium hominum et angelorum, ac consequenter meus, id est Davidis, est Dominus. « Dixit ergo Deus Pater Christo homini, cum triumpho ascendenti in celum :

SEDE A DEXTRIS MEIS, — id est mihi proximus in summa mea gloria regna. Ita S. Hieronymus et Theodoretus, in *Psalm. cix*. Quomodo Christus sedeat ad dextram Dei, fusc expliuit *Colos. iii*, 1.

Citant hunc Psalmi cix versus Christus, *Matth. xxii*, et S. Paulus, *Hebr. i*, 13, ex eoque probant Christum esse majorem angelis, esseque Deum : hoc enim dominium in Davidem omnesque homines Christus homo obtinuit, non vi humanitatis, sed unionis hypostaticæ, quia sollicit ipse non est purus homo, sed homo Deus.

35. DEXERE PONAM INIMICOS TUOS (IN DIE JUDICII) SCABELLUM PEDUM TUORUM, — ut sollicit plane victi, tibi tisque pedibus subjecti sint, et subtrati quasi vile scabellum. Sic Saporex, rex Persarum, Valerianum Imperatorem bello victum fecit scabellum pedum : dorsum enim quasi scabellum præbebat pedibus Saporis in equum ascensuri, inquit Eutropius et Victor in *Valeriano*. Idem fecit Tamberlanes Bajazeti, Turcurum Imperatori victo et capto. Nota : « donec non significat quod eoqueque durissimè sessoris sit Christus ad dextram Dei, quasi doineeps non sit sessorus et regnatarus ; sed potius contrarium, q. d. Sede et regna apud me donec omnes hostes tibi subjiciam, quando longe magis sedebis et regnabis : nam non tantum apud me, sed toto orbe dominaberis, quia omnes hostes tibi subjugabo. Simile est *Matth. i*, 23 : « Non cognoscebat eam donec peperit filium suum, » q. d. B. Virgo non concepit ex Joseph, qui non cognovit eam usque ad partum ; multo minus cognovit eam post partum. Per *inimicos* vocat infideles, Saracenos, Paganos, hæreticos omnesque impios, qui Christo noluerunt se subijcere et obedire.

OMNIS DOMUS (id est tota familia, tota posteritas, tota gens) ISRAEL, — id est Jacobi patriarchæ.

36. QUIA ET DOMINUM EIUS, ET CHRISTUM FECIT DEUS, HUNC JESUM. — q. d. Deus Pater evexit Jesum ad hoc dignitatis fastigium, ut sit dominus universorum et Christus sive Messias, hoc

est, unctus gratiæ plenitudine, de qua omnes accepimus: exivit, inquam, eo ipso quo em divina persone et nature in incarnatione univ. Quare perperam Ariani hæc verba torquent contra divinitatem Christi: *q. d.* Petrus: Christus non fuit Deus et Dominus per naturam divinam, sed a Deo Patre factus et denominatus est per communicationem divine auctoritatis et potestatis. Nam S. Petrus loquitur de Christo, non qua Deus, sed qua homo est: Jesus enim est nomen proprium hujus hominis, et qua homo factus est Dominus omnium, et Christus orbisque redemptor, dum a Judeis crucifixus est. Ita S. Cyrillus, lib. IX *Theauri*, cap. III; S. Basilus, lib. IV *Contra Eunomium*, et alii. Perperam quoque Theodoros Mopsuestenus docens Christum fuisse merum hominem, quia sua sanctitate meruerit conjunctionem cum divina natura, idipsum ex hoc loco probat. Audi Vigilium: « tu superscripto XXXIX cap. rursus illud quod B. Petrus dixit, *Act. II*, Iesum a Nazareth, quem unxit Deus spiritu et virtute, exponens dicit, per unctionem spiritus quod meruit, et immaculatum eum per omnia factum, et ad divinam naturam meruisse conjunctionem: que verba Christum purum hominem aperte significant. Qui ergo hæc ita sapit, docet, credit, aut prædicat, anathema sit. » Ita Vigilus papa in codice Vaticano, quem citat Baronius, anno Christi 533, pag. 417.

QUEM VOS CRUCIFIXISTIS. — Hic incens est stimulus quo S. Petrus mira liberate et sinceritate pupicet corda Iudeorum, *q. d.* Videte quantum scelus commiseritis: crucifixistis enim Iesum, id est Salvatorem mundi, qui est Dominus universorum et Messias, sive Christus vester. Unde notat S. Chrysostomus multos ex Judæis, qui coram Pilato contra Christum clamaverant: « Crucifige, crucifige eum, » huic Petri concioni interfuisse, eaque compunctos se ad Christum, quem crucifixerant, convertisse.

37. COMPUNCTI SUNT. — infimo dolore et contritione, quod Christum occidissent et sprevisent. Utrum hic mireremur magis, Christine in suos pernicidias potentes? an clementiam? an potius ultragium? Clemens enim eos ad poenitentiam vocavit, et poenitentes in gratiam recepti habitique loco parissimorum filiorum: potentia mentes eorum hostiles et saxeas compunxit, et commisit fecitque benevolas et amicas, ut Christum, quem antea summe oderant, diligerent. Hæc mutatio dextere Excelsi. Hæc vis compunctionis.

Præclare S. Bernardus, tract. *De Modo bene vivendi*, serm. 10: « Maria Magdalena, inquit, per compunctionem et lacrymas meruit a Domino audire: Remittuntur tibi peccata tua. Bona compunctio thesaurus est desiderabilis, et inenarrabile gaudium in mente hominis. Anima quæ in oratione habet compunctionem, proficit ad salutem. Lacrymæ poenitentium pro baptisate re-

putantur apud Deum. Compunctio cordis sanitas est anime. Compunctio lacrymarum remissio est peccatorum. Compunctio Spiritus Sanctum ducit ad se, quia cum Spiritu Sancto mens visitatur, statim homo peccata sua plorat. » Subdit deinde quatuor causas et motiva compunctionis: « Ploramus enim, inquit, propter peccata nostra, et propter miseriam hujus mundi, ac propter compassionem proximi, et propter dilectionem ecclesie præmii. Propter peccata flebat ille qui dicebat: Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Idem de miseris hujus mundi gemebat, cum dicebat: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Habitavi cum habitantibus Cedar, multum innoxia fuit anima mea. Dominus per compassionem devit super Lazarum et super civitatem Jerusalem, dicens: Quia si cognovisses et tu, Efiliam Paulus Apostolus, qui præcepit gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus, per compassionem dolebat, dicens: Quis infirmus, et ego non infirmus? Cum dilectione ecclesie præmii plorabant justi dicentes illud Psalmista: Super lumina Babylonis, illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui Sion, » etc. Actus vero heroicis effectusque compunctionis est, quem assignat S. Chrysostomus, lib. II *De Compunctione*, dicens: « Hæc est humiliati cordis vera compunctio, magna agere et humilia loqui: justa operari et super peccatores timere ac tremere. »

38. POENITENTIAM AGITE. — Poenitentiam ante baptismum requisita et necessaria est contritio, non perfecta, quæ est dolor de peccatis ex amore Dei, quia scilicet homo per eum Deum super omnia diligit, quem olim offendit: quem tamen requirit Navarrus in *Enchirid.*, cap. I, n. 38; sed imperfecta, quæ a Theologis dicitur attritio, estque dolor de peccatis ob metum gehennæ et damnationis. Hæc enim dispositione posita, baptismus, qui est regeneratio animæ, et gratiam, quasi novam primamque Spiritus vitam infundit: alioqui, si contritio perfecta requireretur, cum hæc manet ex perfecto amore Dei, ideoque hominem justificat et vivificat, sequeretur vitam requiri ante vitam; nec baptismum regenerare, sed contritionem illi præviam. Excitandi tamen sunt poenitentes baptizandi ad veram contritionem, utpote perfectionem, ut Petrus hic eos, licet compuncti essent, excitat ad compunctionem augendam, declarandam et perficiendam.

BAPTIZETUR UNUSQUISQUE VESTRUM IN NOMINE JESU CHRISTI. — puta in fide, professione, virtute, meritis et baptismo Jesu Christi (non Joannis Baptiste, aut Pharisæorum, qui sua multaque habebant baptismata), credendo et profitendo hunc esse Christum, unicuique mediatorem a Deo Patre propositum ad assequendam remissionem peccatorum, justitiam et salutem. Porro baptismus Christi est is qui confertur in nomine SS. Trinitatis, dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris,

et Filii, et Spiritus Sancti. Tres enim personæ SS. Trinitatis (hujus enim confessio et professio est baptismus) explicite et distincte in baptismo exprimentæ sunt. Licet enim de hac re olim nonnulli dubitarent, imo negarent id esse necessarium, censentes sufficere ut baptizans dicat: « Ego te baptizo in nomine Jesu Christi, » eo quod id hæc dici videatur, tamen contrarium declaravit et definit Ecclesia. Vide Franciscum Suarez, III *part.*, tom. III, disp. XXI. Adde, fortasse Apostolos primis illis temporibus, formæ baptismi addidisse nomen Jesu Christi dicendo: Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii Jesu Christi, et Spiritus Sancti, ut huic novo nomini fidem, amorem et reverentiam conciliarent. Quare certum est S. Petrum, antequam hæc poenitentes baptizaret, catechizasse eos ac docuisse mysterium SS. Trinitatis aliosque symboli articulos; ac deinde eos in nomine SS. Trinitatis baptizasse: quæ omnia compendio perstringens S. Lucas, ait eum dixisse: « Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi. » Nam, ut notat S. Augustinus, lib. III *Contra Maximin.*, cap. XVII, una persona SS. Trinitatis aliam non excludit, sed includit: quocirca Scriptura nunc unam, nunc aliam, nunc omnes nominat, ut significet omnes tres esse ejusdem essentie et potentie. Et Theophylactus, in fine *Evang.*: « Christi, id est uncti, nomen, inquit, in se continet et Patrem ungentem, et unctionem Spiritum, et unctum Filium. »

Tropologice S. Chrysostomus, hom. 12 in II ad Corinth.: « Cum, inquit, per Iesum Christum mortuum vivamus, ei utique ob quem vivimus, vivere debemus. » Et S. Bernardus, serm. *De quadragesimo debito*: « Christo Jesu, inquit, debes omnem vitam tuam, quia ipse vitam suam posuit pro tua, et cruciatus amarus sustinuit, ne tu perpetuos sustineres. » Ac post multa ita concludit: « Cum ergo ei donaveris quiddam sum, quiddam possum, nomen istud est sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? » Idem, tract. *De Dignitate Dei*: « Si totum me debeo pro me facto, quid addam jam pro relecto, et relecto hoc modo? Nec enim tam facile relectus quam factus; nam qui me semel, et tantum dicendo fecit, in reficiendo profecto et dixit multa, et gessit mira, et pertulit dura; nec tantum dura, sed et indigna. In primo opere me mihi dedit, in secundo se; et ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo et redditus, me pro me debeo, et bis debeo. Quid Deo retribuam pro se? Nam etiam si me milies rependere possem, quid sum ego ad Deum? » Idem, serm. 20 in *Cant.*: « Dignus plane est mortis, qui tibi, Domine Jesu, recusat vivere, et mortuus est; et qui tibi non sapit, desipit; et qui curat esse nisi propter te, pro nihilo est, et nihil est. Propter tantissimum, Deus, fecisti omnia, et qui vult esse sibi et non tibi, nihil esse incipit inter omnia. »

ET ACCIPIETIS DONUM SPIRITUS SANCTI. — Primo,

q. d. Accipietis ipsum Spiritum, qui est primum et increatum Dei donum, ut ostendi, vers. 4. Secundo, *q. d.* Accipietis gratiam et justitiam, quæ est donum Spiritus Sancti. Tertio, Franciscus Suarez, tract. *De Sacramento Confirmationis*, disp. XXXII, sect. 4, per « donum Spiritus Sancti » accipit gratiam sacramenti Confirmationis, quæ eximia est et singularis donum Spiritus Sancti. Unde sacramento Confirmationis hunc effectum tribuit Scriptura, quod conferat Spiritum Sanctum, ut patet *Act. VIII* et cap. XIX. Olim enim cum grandævi baptizabantur, mox a baptismo conferebatur eis sacramentum Confirmationis.

39. VOBIS ENIM EST REPROMISSIO. — ad vos quasi filios Abrahæ, pertinet promissio Abrahæ facta de Christo, quod scilicet per eum benedicenda, id est justificanda et salvanda, essent omnes gentes, *Gen. XXII*. Hæc ergo promissio est de Christo, ac consequenter de Spiritu Sancto, quem æque ac Apostoli recepturi erant in baptismo, si crederent in Christum.

OMNIBUS QUI LONGE SUNT. — a Deo, Ecclesia, fide et salute, puta Gentilibus, quibus ait Apostolus, *Ephes. II*, 12: « Eratis illo in tempore sine Christo, alienati a conversatione Israel, et hostiles testamentorum, promissionis spem non habentes et sine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Christo Jesu vos qui alquando eratis longè, facti estis prope in sanguine Christi. »

40. TESTIFICATIO EST. — *ἰσχυρίσθητε*, id est quasi testibus adhibitis asseverabat, confirmabat et contestabatur vera esse sua dicta et dogmata de Christo. Testes hi erant, tum Scriptura et prophetiæ de Christo, tum commemoratio sanctitatis et miraculorum vite et passionis Christi, tum ipsi Apostoli cæterique fideles, quin et ipsi Judæi, qui Christi vitam, miracula et mortem viderant.

EXHORTABATUR. — Syrus, *postulabat*, vel *efforgebat ab eis*.

SALVAMINI A GENERATIONE ISTA PRAVA. — *q. d.* Per fidem et baptismum Christi vitamque Christianam segregate vos ab hoc sæculo infideli et impio, puta a Judæis et Gentibus infidelibus et impiis, ut salvetis animas vestras. Præclare S. Eucherius, epist. ad *Valerianum*: « Vera, inquit, beatitudo est, sæculi beatitudinem spernere, neglectisque terrenis in divina flagrare. Abrumpatur illa interminabilis sæcularium negotiorum catena. Nihil est magnum re, quod parvum tempore: nec longis dilatatur gaudiis, quiddam arcto sine concluditur. »

Moraliter nota, conversationem cum sæcularibus et impiis esse periculosam ac ducere ad interitum æternum. Pauci enim tam fortes et constantes sunt, ut tot prævis exemplis, sermonibus, invitationibus, irrisionibus, minis, etc., impiorum semper resistent, nec his se ad eorum mores flecti sinant. Qui ergo sapit, cum Loth fugiat de Sodoma, ne ejus incendio afflatur, Verum enim est illud *Eccles. XIII*: « Qui tetigerit picem, inquit

Moraliter nota, conversationem sæcularium et impiis esse periculosam ac ducere ad interitum æternum.

nabitur ab ea; et qui communicaverit superbo, induet superbiam. » Et illud S. Hieronymi, *epist. 7* : « Proclivis est malorum imitatio, et quorum virtutes assequi nequeas, cito imitaris vitia. » Nam, ut ait S. Cyprianus, *lib. De Spectac.*, « nihil facilius, quam ut superbia superbiam, inacidia inacidiam, omne denique vitium, sui generis vitium in aliorum animis pariat, non modo nescientibus et non advertentibus, sed sæpe etiam invitit. » Exemplo est S. Augustinus, qui *lib. II Confess.*, cap. *III* et *IX*, deplorat quod juvenis inter coetaneos suos jactantes vitia sua, ipse etiam simulabatur non modo ad eadem faciendi, sed etiam ad fingenda que non fecerat, ne videretur abjectior, quo erat innocentior; et ne vilior haberetur, quod erat castior. Nihil enim contagiosum non esse malos sodales, cum dicitur: « Eamus, faciamus, et pudeat non esse impudentem. » Similibus huic concioni Petri est concio S. Joannis, *Epist. 1*, cap. *II*, dum ait: « Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo. Quoniam omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ. » Et S. Leonis serm. *3 De Quadriges*: « Plena, ait, omnia periculis, plena laqueis. Incitant cupiditates, insidiantur illecebræ; blandiuntur luera, damna deterrunt; amare sunt obloquentium lingua, nec semper veraciam sunt ora laudantium. » Quocirca sapienter S. Bernardus, *epist. 403*: « Beatus, inquit, qui post illa non abiit quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. » Vide S. Ambrosium, *lib. De Fuga sæculi*.

41. APPONITE SUNT — Ecclesie et cœtui fidelium qui tum collecti erant pauci numero, puta 120, super quos descendit Spiritus Sanctus. Sic ait Jeremias, *1, 3*: « Apponentur ad Dominum federe sempiterno. »

ANIME, — homines. Est synecdoche: pars enim ponitur pro toto.

TRIA MILLIA. — Vide hic fructum sanguinis Christi: vide et linguam igneam Spiritus Sancti, per os Petri jaculantem ignea verba quasi tela, quibus totum auditorum cœtum amore Christi accendit et inflammavit. Erant hæ primitiæ fervoris et spiritus.

42. ERANT AUTEM PERSEVERANTES, — *ἐπιστασσαντες*, id est perseverantes magna constantia instantia et constantia. Vide dicta cap. *1, 14*.

IN DOCTRINA APOSTOLORUM, — audienda, rumindanda, meditanda.

ET COMMUNICATIOE FRACTIONIS PANIS. — Græce *κοινωνία* et *fractio panis*. « Communicatio, » scilicet honorum, inquit Vatablus, et officiorum multo obsequii, ait Cajetanus, *q. d. Primi Christiani* mutuo suas opes, res et obsequia magna charitate communicabant: erant enim ipsi omnia communia. Verum de hac operum communione dicit Lucas, vers. *44*. Quare melius noster interpretatur et accepit quasi exegeticum, pro

id est, uti alibi sæpe accepit; aut potius censuit esse hendiadyn, qua unum per duo dicitur, ut apud Virgilium: « Aurum frænos momordit, » id est aureos frænos momordit. Sic « in communicatione et fractione panis, » id est in communicatione fractionis panis, vel qua communicatio erat fractio, sive in fractione panis: alioqui « communicatione » caret genitivo, nec explicatur cujus rei fuerit hæc communicatio. Unde pro « communicatione, » Græce est *κοινωνία*, id est *communio*, sive *communis unio*, quo nomine a S. Paulo et Patribus vocatur Eucharistia quætor de causis. Prima est, quia ipsa est mensa et cibus communis, cui assident et communicant omnes fideles. Unde Græci eam quasi *κοινὴν*, id est *communem*, nuncupari censent. Secunda, quia in Eucharistia communicamus cibo plane eidem et indiviso, puta corpori Christi, quod non fit in aliis concis, ubi unus hanc cibi partem, alius aliam sumit et manducat. Unde S. Chrysostomus, *hom. 88 in Matth.*, ait « nos per communicationem cum Christi corpore ferri massam unam; » et Cyrillus Alexandrinus, *lib. IV in Joan.*, cap. *XVII*: « Sicut, ait, cera cæra liquefacta miscetur, et ignis ferro ignito se insinuat, ita nos miscemur corpori Christi, » ac consequenter eius divinitati; itaque efficiuntur « concorporati et consanguinei Christi, » imo Christifleri. Quocirca Isidorus Pelsiota, *lib. I, epist. 228*, asserit « communionem vocari, propter conjunctionem cum Deo, et quia regni participes reddat. » Hoc est quod ait Paulus, *I Corinth. X, 16*: « Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? » Ubi et *tertiam* rationem subdit, dicens: « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus, » *q. d.* Eucharistia est communis omnium fidelium unio; nam unit omnes eidem corpori Christi, ac consequenter unit omnes inter se. Quæ enim sunt eadem uni tertio, sunt et eadem inter se. Quocirca S. Dionysius, *Eccles. Hier.*, cap. *II*: « Divinissima, inquit, unius ejusdemque panis atque potuli communis pacificaque communicatio, divinam illis velut convictoribus morum conjunctionem sanat; » additque quod Eucharistia sit omnium « Sacramentorum consummatio et perfectio. » Denique Eucharistia uniendo nos Christo, omnibus et singulis Christi sanguinem, passionem et merita communicat.

FRACTIONIS PANIS. — Beza et hæretici, ac nonnulli Catholici accipiunt panem communem, *q. d.* Christiani habebant mensas communes, agitabant convivia communia. Verum hæc non est hæc Christianorum, sed Epicæneorum. Dico ergo Græce esse *τὸ ἄρτος*, id est *illius panis*, scilicet Eucharistie et divini. Unde Syrus clare vertit, *Eucharistia*: hoc enim nomen, licet Græcum, retinuerunt Syri, uti et Latini. Et palce ex circumstantiis: hæc enim fractio panis interjicit inter

Eucharistia est communicatio panis quætor. Primo. Secundo.

doctrinam Apostolorum et orationes. Erat ergo ejusdem ordinis, puta spiritualis, uti illa erant spiritualia, non carnalis. Alludit enim Lucas ad verba sui Pauli, *I Corinth. X, 16*, paulo ante citata, ubi Eucharistiam vocat fractionem panis, ob causas quas ibidem recensui; quibus adde primos Christianos post Eucharistiam agitate commune convivium, quod ob symbolum charitatis vocabant agapen, in qua eundem panem cibumque frangebant et manducabant, de quo dixi, *I Corinth. XI, 21*. Porro hæc mox a Penitente prima descensuque visibili Spiritus Sancti confugerunt. Post eam ergo illico a fidelibus cepit frequentari Eucharistia, indeque tantus eorum fervor. In cujus rei memoriam, festum Corporis Christi institutum ab Urbano IV Pontifice, ab eodem jussum est celebrari feria quinta post Octavam Pentecostes. Nam, ut ait S. Thomas, *in Officio Eccles. illius festi*, « congruit ut tanti Sacramenti institutionem illo tempore specialiter reoclamus, quo Spiritus Sanctus corda discipulorum edocuit, ad plene cognoscenda hujus mysteria Sacramenti: nam et in eodem tempore cepit hoc Sacramentum a fidelibus frequentari. »

Nota hic tria primaria primorum Christianorum munia et exercitia, nobis, quoad possumus, imitanda et frequentanda. Perseverabant enim *primo*, in doctrina Apostolorum: ita et nos in concionibus verboque Dei audiendo, legendo, ruminando perseveremus. « Qui enim ex Deo est, verba Dei audit, » ait Christus, *Jean. VII, 47*. Verbum Dei est lux animæ et semen orationis, meditationis omniumque honorum operum, juxta illud *Psal. CXVIII, 105*: « Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lux semitis meis. »

Secundum est, sancta communio Eucharistiæ, per quam ipsi Christo realiter et substantialiter unimur. Sicut enim cibus unitor corpori, et in *quod* convertitur; ita Christus quasi cibus unitor nobis: verum non se in nos, sed nos in seipsam convertit, juxta illud quod dixit S. Augustinus: « Non me mutabis in te, sed tu mutaberis in me. » Qua de causa primi fideles quotidie communicabant, uti hic innuit S. Lucas, eaque precipua fuit causa tantæ sanctitatis et perfectionis eorum. Idem facere etiamnum dicuntur Abyssini sub Preto-Joanne. Hoc est quod oramus in oratione Dominicæ: « Panem nostrum quotidianum, » Græce *ἐπιπέτοιον*, id est *supersubstantialium*, ut vertit Interpretes S. Matthei, cap. *VI, 11*, « da nobis. » Hinc Tertullianus, *lib. De Oratione*, cap. ult., ait « solvendam esse orationem, corpore Domini accepto. » Hæc de causa olim fideles Eucharistiam domum deferabant, presertim tempore persecutionis, ac quotidie eam sumebant, ut se armarent ad martyrium: eaque fuit causa fortitudinis tot Martyrum, uti docet S. Cyprianus, *lib. De Spectac.*, et *Ezhort. ad*

Mart. Quocirca Concilium Florentinum docet effectum Eucharistiæ esse augmentum gratiæ, et omnem illum effectum, quem materialis cibus in corpore efficit. Et infra subdit Eugenius Pontifex: « Hujus Sacramenti effectus, quem in anima efficit digne sumentes, est adunatio hominis ad Christum; et quia per gratiam homo Christe incorporatur, et membris ejus unitur, consequens est, quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur. » Et Tridentinum, *sess. XIII*, cap. *II*, docet « hoc Sacramentum esse institutum tanquam spirituale animarum cibum, quo alantur et confortantur viventes vita illius qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me; et antidotum quo liberemur a culpis quotidianis et a peccatis mortalibus preserveremur. » Hinc vocatur « panis, » sed sacer et transubstantiatus, non tantum quia habet speciem panis, sed etiam quia ad omnem cibum adhibetur panis; unde panis a pascendo dicitur. Hinc et ab Hebræis quilibet cibus et pabulum dicitur panis. Eucharistia autem omnimodo pabulo animam pascit; est ergo panis et plusquam panis.

Præclare S. Cyprianus, *De Cæna Domini*: « Qui manducat, ait, ex hoc pane, ultra non esurit: qui bibit, ultra non sitit: quoniam mysterium hujus sic sufficit gratia, sic reficit intelligentia, ut cuiuscumque tante rei innotuerit plenitudo, omnis communicationis fine invento, Christi bajulus ipsum ferat in pectore, ipsum gerat in mente, et omni tempore habitatori suo dicta et facta jubilatione consona laudes resonent et gratiarum actiones decantent. Hæc ebrietas non accendit, sed exstinguit peccatum: in hoc vino non est luxuria, nec movetur ad ludum post hunc potum lascivia. Cum sopivt oblivio cuncta carnis ludibria, mira sunt que sentit, magna que videt, inaudita que loquitur: quin (quem) Agnus iste paschalis inhabitat, ejus animam meri hujus fortitudo hilaritate inexplicabiliificat et delectat. »

Tertium est, oratio qua Deum laudamus, gratias agimus, novamque gratiam poscimus et impetramus. Ubi obiter nota, Lucam hic tribus verbis describere ritum et ordinem quem primi fideles servabant in suis cœtibus et synaxibus: *primo*, enim audiebant verbum Dei; *secundo*, communicabant; *tertio*, Deo canebant hymnos, psalmos et cantica spiritualia, uti ostendi, *I Corinth. cap. XIV*. Hæc enim tria sunt necessaria Ecclesie et cuivis fidelis, ejusque sunt quasi anima et vita. Sicut enim ad vitam corpoream requiruntur tria, scilicet sol, panis et halitus sive respiratio, ita totidem requiruntur ad vitam spirituales, nimirum spiritualis sol, puta verbum Dei; spiritualis panis, puta Eucharistia; et spiritualis halitus, puta oratio: hæc enim halitus est spiritum divinum et celo attrahimus et haurimus, juxta illud *Psal. CXVIII*, vers. *131*: « Os meum aperui, et attraxi spiritum. » Hæc tria adun-

brata fuerint tribus vasis in templo veteri, puta in Sancto, quae erant candelabrum septiceps, mensa panum propositionis et altare thymiamatis : candelabrum enim representat verbum Dei; mensa panum, Eucharistiam; altare, orationem, haec enim est thymiana Deo odoratissimum et gratissimum, ut patet *Apoec. viii, 3. Petro*, et oratio perfecta est, ait S. Bernardus, tract. *De Natura divini amoris*, cap. iii, in qua tanta sit fides, ut speret omnia; tanta devotio, ut Deum videatur cogere (qualis erat S. Catharina Senensis, dicentis: Domine, non dimittam te, nisi hanc illamve animam, virtutem aut gratiam mihi concesseris); tantus amor, ut omnia quae petit, in ipsa oratione se sentiat obtinere; tam benigna humilitas, ut in omnibus non suam, sed Dei voluntatem in se fieri praecipiet. » Talis fuit horum primorum fidelium, ideoque omnia quae postulat a Deo, protinus impetravit.

PANIS. — Ex hoc loco colligitur, sufficere laicis sumere Eucharistiam sub una specie panis, nec requiri alteram, puta calicis. Crescente enim in immensum numero fidelium, difficile et pene impossibile erat omnibus dari calicem. Adde, molles esse abstemios, qui abhorrent a vino; esseque in tanto numero evidens periculum irreverentiae et effusionis sanguinis, praesertim in turba rudium et rusticanorum. Obijciunt haeretici, sub pane intelligi calicem; nam certum est Apostolos et sacerdotes obtulisse sacrificium, in quo requiritur consecratio tam vini, quam panis. Respondeo: Lucas hic non loquitur de sacrificio sacerdotum, ad quod requiritur utraque species, sed de communione fidelium laicorum, in qua cum duntaxat nominet panem, colligimus eum solum fuisse datum et distributum in tot millium turba.

VERS. 43. **43. FIEBAT AUTEM OMNI ANIME TIMOR.** — « Timor » hic erat sacer quidam horror et reverentia, quae videntes linguas igneas et audientes sermones igneos, timebant et venerabantur Apostolos quasi homines celestes et divinos, qui miracula patrare, et cum Elia ignem ex caelo devocare et in hostes vibrare possent. Sic « primus in orbe deos fecit timor, » ait Poeta. Sic, visis Christi prodigiis, dicuntur turbae timuisse, *Lucas vii, 16*: timor hic non erat aliud quam religio et reverentia erga Christum, ex ejus miraculis concepta. Sic Matthaeus, cap. ix, 8, sanato paralytico a Christo, ait: « Timuerunt turbae, » Graeco *θαυμάσιον*, id est admiratae sunt; admirationis enim effectus est timor, sive reverentia. Unde S. Lucas idem narrans, cap. v, 26 *Evang.*, scribit: « Apprehendit omnes » *εξορῶν*, id est extasis, puta timor ex stupore manans et in Dei glorificationem erumpens. Ecce ut Spiritus Sanctus Apostolos antea timidus veluti cervos, facit omnibus terribiles quasi leones. Ecce quanta est vis sanctitatis, quam etiam impii verentur et expavescent.

PRODIGIA. — Haece enim a Deo erat confirmanda nova primaque fides de Christo, ut per ea credibilia fieret hominibus; alioqui temere credidissent. Quare similia ab haereticis nova dogmata afferentibus poscenda et exhibenda sunt. si sibi credi velint. Vere Richardus Victorius, lib. I *De Trinit.*, cap. ii: « Si error, inquit, est quod credimus, a te decepti sumus: ista enim in nobis tuis signis et prodigiis confirmata sunt, quae non nisi a te fieri poterant. »

ET METUS ERAT MAGNUS IN UNIVERSIS. — Haec verba desunt in Graeco et Syro, quia idem sunt cum eo quod praecessit: « Fiebat autem omni animae timor, » illudque exaggerat et inculcat.

44. OMNES ETIAM QUI CREDEBANT, ERANT PARITER. — Graeco *ἅπαντες ἐν αὐτῷ, ἐραντ ἐν ἰδίῳ*; Syrus, *erant simul*; Figurina et Pagninus, *erant conjuncti*, non quod simul habitarent; hoc enim erat impossibile in tanta hominum, praesertim conjugatorum et mechanicorum turba. Quae enim domus tot millia fidelium cepisset? Erant ergo simul, quia statim horis simul ad synaxin, puta ad concionem, communionem et orationem, de quibus paulo ante dixit Lucas, in templum conveniebant. Id nostri Anabaptistae, quasi simiae imitantur in Moravia: quisque enim eorum suam domum et officinam habet, sed statim horis ad suas synaxes coeunt omnes. Adde, Apostolos et capita Ecclesiae, puta primarios fideles, simul habitasse juxta templum in porticu Salomonis. Hoc est enim quod ait Lucas, cap. v, 12: « Per manus autem Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe. Et erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. » Denique sociabant se, ut vicini invicem habitarent circa templum, quoad poterant, et quantum officia verumque status cuique permittebant, uti videmus in urbibus recte constitutis, civis qui ejusdem sunt sectae, nationis, mercaturae, vel officii, simul habitare in eadem platea. Et hoc innuit Lucas dicens, vers. 46: « Frangentes eirea domos panem. »

ET HABEBANT OMNIA COMMUNIA. — Meum enim et tuum est causa omnis discordiae, ait S. Chrysostomus. Plato ideam perfectae reipublicae describens deponit, ut in ea omnia sint communia, ad perfectam civium unionem et concordiam, etiam uxores. Sed in eo feda erravit: uxorum enim communitas repugnat legi naturae, quae sancit unam cum uno copulandam ad proles certitudinem et debitam educationem. Primi Christiani ergo hoc sustulerunt omnique haberunt communia praeter uxores, ac proinde vixerunt quasi Religiosi; imo religiose vite fundamenta ab eis facta esse, docent S. Hieronymus, lib. *De Viris illust.*, in S. Marco; S. Augustinus, *epist.* 109, et S. Basilinus in *Regul. fustior.*, Reg. xix et xxxii. Vidit hoc per umbram Pythagoras, cum auream hanc gnomen edidit: « Amicorum omnia communia; » ex quo Diogenes colligebat, « sapienties esse omnia quae in orbe sunt: » Haec enim sunt Dei,

cujus amicus est sapiens; Iulius est Seneca, lib. VII *De Beneficiis*, cap. xii (1).

Ex hoc ergo loco, quod primi Christiani haberent omnia zōia, id est communia, ortum est *anacora*, puta Cenobita et Cenobite, inter quos primi fuerunt Essai, quorum parens fuit S. Marcellus, de quorum sanctitate mira scribit Eusebius, lib. II *Hist.*, cap. xvii; S. Hieronymus, lib. *De Script. Eccles.*, in Vita S. Marci. Quocirca recte idem S. Hieronymus, eodem libro in Philone: « Talis, inquit, primo credentium fuit Ecclesia, quales nunc Monachi esse nituntur et cupiunt, ut nihil usquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper: patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur et psalmis, doctrinaeque et continentiae, quales et Lucas refert primum Hierosolymis fuisse credentes. Quocirca ex tunc cepit vita Religiosa et Cenobitica a viris perfectionis avidis, qui primævam Apostolorum et fidelium vitam aemulari conabantur, quorum ingens fuit multitudo per orbem sparsa, uti testatur S. Dionysius, *Ecl. Hierac.*, cap. x. Eam deinde post annum Domini 300, instauravit S. Antonius in Aegypto, S. Basilus in Graecia, S. Hieronymus in Syria, S. Augustinus in Africa, S. Benedictus in Italia totoque Occidente, quem deinde secuti sunt S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, etc.

Porro haec communio honorum, magnum est virtutis et perfectionis compendium. Nam primo, ingens est charitatis mutuae incentivum. Unde S. Laurentius Justinianus, lib. *De Obedientia*, cap. xvii: « Quid aliud, inquit, esse dixerim Religiosorum monasteria, et Deo famulantium loca, quam stadia militaria atque spiritualia castra pugnantium? Nonne in eisdem frequentissima devotionis laerymae, compunctionis gemitus, suspiria pietatis, compassionis et charitatis ad Deum incessanter effunduntur vota? » Et paulo post: « Quid oro locupletius, quam nihil habere et omnia possidere? Carere rebus superfluis, et uti necessariis? Proprium spernere patrimonium, et Christi esse haereditem? Monasteriorum quippe redditus thesauri sunt Salvatoris, ii profecto communes fiunt omnibus in communie viventibus. Non secernitur persona divitis, non potentis statui defertur; sed prout cuique expedit, erogantur; quod est opus divinum, commendatio gratiae, charitatis officium et naturae exemplum. »

Secundo, quia amorem et affectum advocat ab

(1) Non fuit absoluta honorum communitio in Ecclesia Hierosolymitana; et si fuit, saltem non diu duravit. Nam ipsorum Apostolorum tempore collectae in usum pauperum, I Cor. xvi, frequentate sunt, quibus certe opus non fuisset, si honorum a singulis facta universorum extitisset collatio. Ino liberum cuique fuit, facere hoc aut non facere, ut ostendit Ananie exemplum, cap. x, vers. 4. Describitur ergo et hic et aliis locis beneficentiae et fraternae charitatis studium acie et eximium.

opibus et delicis terrenis, quasi vilibus et exilibus, eumque totum transferat in Deum et res celestes: quo fit, ut in caelo defixus quasi aquila, pompas omnes et dignitates terrae velut formicae aspiciat et despiciat, ac quasi rex omnibus emineat et dominetur, juxta illud ab Isaia, cap. lviii, promissum: « Sustollam te super altitudines terrae, et ebalbo te haereditate Jacob patris tui. » Nam, ut ait S. Cyprilianus, tract. *De Orat. Domina*: « Qui renuntiavit jam saeculo, major est honoribus ejus et regno; et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed caelestia regna desiderat. » Cenobita ergo celsior est mundo, dominus universi, par angelis, civis Sanctorum, domesticus paradisi, haeres Dei, coheres Christi. Vide S. Chrysostomum, homil. 13 ad *Popul.* Hinc nullum, licet potentem et principem, timet, nulli audacter, sed libere quorumvis vitia carpit, adulter tyrannus resistit, ut Elias restitit Achab, Nathan David, Eliseus Joram, Moses Pharaoni, qui proinde a Deo audivit: « Constitui te Deum Pharaonis, » *Exod.* vii.

Tertio, parit meritum et bonorum omnium communionem. Unde S. Basilus, *Const. monast.*, cap. xix: « Communis, ait, est Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina, communes labores, communia praemia et certaminum corona, ubi multi unus, et unus, non solus, sed in pluribus. » Quarto, auferit materiam litium, cupiditatum vitiorum et tentationum omnium; ac ex adverso materiam tempusque et aptitudinem suggerit vacandi sibi et Deo, meditando, excedendi opera pietatis, spei, charitatis et virtutum omnium, juxta illud *Psal.* xxxix: « Ego autem mendicium sum et pauper: Dominus sollicitus est mei. » Vere S. Augustinus, serm. 33 *De Verbis Apost.*: « Amor, inquit, rerum terrenarum viscus est spiritualium penarum. Ecce concupiscit, haesisti. Quis dabit tibi pennas ut columba? quando volabis ubi vere requiescas, quando hic ubi male haesisti, perverse acquiescere volueris? »

Quinto, parit animi pacem, serenitatem, laetitiam et jubilum perpetuum. Haec ergo vita accedit ad vitam quam egit Adam et Eva in paradiso, estque inchoatio vitae caelestis, quam Beati agunt in caelo. Quocirca haec primorum Christianorum « vita erat angelica, » ait S. Chrysostomus, juxta illud Christi: « Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, » *Matth.* xix, 21. Et illud *Psalm.* lxxii: « Quid mihi est in caelo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum? » Unde S. Laurentius Justinianus, *Opusc. De Monastica conversat.*, cap. ii, pulchritudinem vitae cenobiticae, qualem agunt claustrales, describens: « Est, inquit, claustrum hortus conculcus, paradisi deliciae, thalamus nuptialis, cubile immaculatum, virtutum schola, tabernaculum foederis, reclinatorium sponsi,

bellatorum statio, sanctitatis domus, castitatis custos, prudentia firmamentum, religionis magisterium et obedientiae sancte speculum singulare.»

POSSESSIONES — *Agros aut domos*, ut explicat Lucas, cap. IV; unde possessio dicitur quasi *pedum sessio* aut *positio*, ait Festus: fundi enim aut domus possessio capiebatur immittendo in eam pedem, quasi in rem propriam et peculium.

43. ET SUBSTANTIAS (bona mobilia, ut pecora et suppellectilia) VENEBANT, — studio tum paupertatis et perfectionis calcantes terrenas opes et anhelantes ad caelestes; tum vitae communis et charitatis, ut ea in fratres, puta Christianos, praesertim egentes distribuere; tum ex instinctu Dei quasi praesagentes imminem persecutionem, ne bona haec a Judaeis confiscarentur, sed ut ipsi ex eorum pretio viverent alisque fidelibus in persecutione bonis suis spoliatis succurrerent, juxta illud Apostoli, *Hebr.* cap. XI, vers. 34: « Nam et victis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem et manentem substantiam. » Unde Melchisedech Pontifex, XII, *Quaest.*, I, cap. *Futuram*, ait quod futuram Ecclesiam in gentibus Apostoli praevidebant, ideoque praedia in Judea minime sunt accepi, sed pretia tantummodo ad fovendos egentes: praesertim quia praevidebant Jerusalem et Judaeam paulo post a Tito et Romanis plane vastandam. Idem fecerunt deinceps Christiani, qui, vigente persecutione, parabant se ad martyrium, ut S. Valerianus, S. Cecelia, S. Sixtus, S. Laurentius, qui bona etiam Ecclesiae vendebant et distribuerebant inter fideles egenos, ne persecutores ea confiscarent et raperent, prudenti sane pioque consilio.

PROUT QUOQUE OPUS ERAT. — « Non quod pueriliter quis gestire poterat: nil ibi otiosum erat, ac multo minus superbum: quod opus erat, hoc est, quantum ad indumenta, quod et nuditatem tegeret et frigus repelleret, » ait S. Bernardus, *Apolog. ad Gal. Abb.*

46. IN TEMPIO. — Hoc imitantur hodie Cœnobite et saeculares pii, tam viri, quam matrones, quae omne tempus quod a negotiis liberum habent, in templo orationi, lectioni et concionis impendunt. Ubi enim quis melius, jucundius, utinam, nobiliter versetur, quam cum Deo in ejus domo?

ET FRANGENTES CIRCA DOMOS PANEM. — (Graece *κατὰ οἶκον*, id est *circa domum*, puta Dei, hoc est templum, ait *Emmenius*) qui proinde cum nullis aliis censet panem hunc quem in templo frangebant, fuisse Eucharistiam. Unde pro *panem*, Syrus verit *munus benedictum*, puta panem consecratum et transubstantiatum, deoque quasi *missam* in sacrificium oblatum. Idque est valde probabile, quia Eucharistia a Paulo et Luca vocatur *fractio panis*. Nec obstat, quod Noster

Graece *κατὰ οἶκον* vertat *circa domos*, puta domum, per domos singulas, idque recte ex graecismo; quia, crescente numero fidelium, per varias domos eos distribuere in iisque Eucharistiam celebrare oportebat. Atque exinde oriet et distincte patet, quibus singulis suis praesertim Parochus, sive Pastor, cum primitus una esset *oïca*, sive domus et concellum fidelium, uti patet cap. I, vers. 43. Alii tamen, ut Lyranus, Cajetanus et Carthusianus significant hunc panem fuisse usulem et communem, q. d. « Frangebant, » id est distribuere per domos panem, id est cibum, pro numero, qualitate et quantitate incoiorum ejusque domus. Unde notat Chrysostomus, dicit *panem*, q. d. Alimentum necessarium, non delicias. Huic sensui favet id quod sequitur: « Sumbant cibum cum exultatione, » sed hoc recte accipias de agape post Eucharistiam, q. d. Post Eucharistiam sumebant agapen, sive cibum in epulo et convivio communi, instituto in memoriam ultimae cœnae Christi communis, ad symbolum et stimulum charitatis. Unde pro *sumebant*, graece est *πρωήθησαν*, id est simul sumebant cibum communem, scilicet in agape, quam post Eucharistiam celebrabant (1).

CUM EXULTATIONE, — tum ob receptam Christianismi gratiam, tum ob supradictam Eucharistiam, tum ob agapen tantamque in se invicem charitatem mutuam. Videbant enim novam in mundo rempublicam Christianam, qualis nunquam visa fuerat in mundo, eamque similem vitae caelestis et angelicae; sequi in eam per Dei gratiam esse cooptatos, ac proinde omnium Spiritus Sancti charismatum in ea factos esse participes. « Nullum enim majus signum inhabitantis Spiritus est, quam belitia spiritualis, » ait S. Bernardus. Rursum: « Secura mens quasi iuge convivium, » ait Sapiens. Nimirum: « Vox exultationis et salutis in tabernaculis justorum, » *Psal.* cxvii. Ita in S. Synaxi exultabat S. Franciscus, ut ait S. Bonaventura, in ejus Vita, cap. ix: « Flagrabat, inquit, erga Sacramentum Domini corporis fervore omnium medullarum, stupore admirans permixtione illam charissimam dignationem et dignatissimam charitatem: saepe communicabat et tam devote, ut alios devotes efficeret, dum ad immaculati Agni degustationem quasi spiritu ebrius, in mentis ut plurimum rapiebatur excessum. »

Porro Tertullianus bona et delectationes Christianismi, in quibus jure exultant Christiani, ita strictim recenset et compensat, lib. *De Spectaculis*,

(1) « Frangentes circa domos panem. » Ex nostra saltem sententia, sermo hic est ad litteram de epulis quae dicebantur *εὐχάρις*, quae ad omnes fideles pertinebant, ita tamen ut fideles in subsidium pauperum necessaria conferret. *κατὰ οἶκον*, scilicet *εὐχάρις*, id est, singulis in domibus, modo in hac, modo in illa. Nemini acausa ignotum est, primis temporibus ante, deinde post nos epulas, Eucharistiam fidelibus distribui de more fuisse. Vid. Bergier, *Dictionnaire de Théologie*, voc. *Agape*.

cap. xxix: « Quid, inquit, jucundius quam Dei Patris et Domini reconciliatio, quam veritatis revelatio, quam errorum recognitio, quam antorum retro criminum venia? quae major voluptas, quam fastidium ipsius voluptatis, quam saeculi totius contemptus, quam vera libertas, quam conscientia integra, quam vita sufficiens, quam mortis timor nullus; quod caleas deos nationum, quod demonia expellis, etc., quod Deo vivis? Hoc voluptates, haec spectacula Christianorum sancta, perpetua, gratuita. » Et mox: « Vis et pugillatus et luctatus? presto sunt non parva, sed multa. Aspicie impudicitiam dejectam a castitate, perfidiam cesam a fide, severitiam a misericordia contusam, petulantiam a modestia obumbratam; et tales apud nos sunt agones, in quibus ipsi coronamur. Quale autem spectaculum in proximo est adventus Domini jam indubitati, jam superbi, jam triumphantis? Quae illa exultatio angelorum, quae gloria resurgentium Sanctorum? quale regnum exinde justorum? qualis civitas nova Jerusalem? etc. Qualia illa sunt quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt? » Unde paulo ante concludit: « Delicatus es, Christiane, si et in saeculo voluptatem concupiscis, imo nimium stultus, si hoc existimas voluptatem. Ducas velim, non possumus vivere sine voluptate, qui mori cum voluptate debemus? Nam quod est aliud votum nostrum, quam quod et Apostoli, exire de saeculo et recipi a sub Dominum? Haec voluptas ubi et votum. »

ET SIMPLICITATE CORDIS, — id est sine malitia, dolo, suspitione, invidia, molestia; benevole, candido, sincero, integro, hilariter, liberaliter. Significat omnia bona fide esse gesta; nullas exquisitas fuisse delicias, nullas etiam sectas vel schismata; sed quemque sua libenti et alacri animo fratribus communicasse, ait Chrysostomus, ac vicissim quae ex distributione sibi obtinebant, simpliciter, candido, hilari et grato animo accepisse, non respiciendo an alteri melior vel major pars distributa fuisset.

Nota: Sicut in rebus naturalibus simplicia dicuntur corpora, quae non sunt mixta et composita, qualia sunt corum et elementa, ex quibus reliqua corpora componuntur et conflantur: ita in moralibus simplices vocantur, qui carent furo, dolo et cupiditatum passionumque mixtura. Quocirca Deus simplicissimus est, tam physice in natura, quam moraliter in virtute, candore et puritate. Unde praclare S. Augustinus, lib. XI *Civit.*, x: « Est, inquit, bonum solum simplex, et ob hoc solum incommutabile, quod est Deus. Ab hoc bono creata sunt omnia bona, sed non simplicia, et ob hoc mutabilia. Creata sane, id est facta, non genita. Quod enim de simplici bonum genitum est, pariter simplex est, » puta Verbum et Filius Dei. Et mox: « Ideo simplex dicitur, quocirca quod habet, hoc est, » etc.,

utpote « cui non sit aliquid habere, quod vel possit amittere; vel aliquid sit habens, aliud quod habet, sicut vas aliquid liquorem, aut corpus colorem, aut aer lucem, aut anima sapientiam. Nam neque vas liquor est, nec corpus color, nec aer lux, neque anima sapientia est. Hinc est quod etiam privari possunt rebus quas habent. » Et inferius: « Secundum hoc ergo dicuntur illa simplicia, quae principaliter vereque divina sunt, quod non aliud est in eis qualitas, aliud substantia; nec aliorum participatione, vel divina, vel sapientia, vel beata sunt. » Unde idem alibi: « Simplex eris, si te mundo non implicaveris, sed explicaveris: explicando enim te a mundo (unies te cum Deo simplicissimo, itaque) simplex, implicando duplex eris. » Et Ficinus, in cap. VII *Timaei* Platonis: « Simplicitas, inquit, suprema super aeternitatem extat, a qua in divinis mentibus sit integritas, et in animalibus rationabilibus aeternitas temporis mixta, et in mundi sphaeris sempiternitas temporalis: in his autem quae sphaerarum motu virtuteque fiunt, quaedam portio temporis. » Quo ergo quis simplicior est, eo proximius ad Deum et divinitatem accedit. Quocirca monet Christus: « Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae, » *Matth.* X; q. d., ait S. Hieronymus, *epist. ad Rustic.*: « Habeto simplicitatem columbae, ne cuiquam machineris dolos; et astutiam serpentis, ne aliorum supplanteris insidiis: quia non multum distat in vitio, aut decipere, aut decipi posse. » Idem, in cap. VII *Osee*: « Prudentia, ait, absque simplicitate malitia est, et simplicitas absque ratione stultitia nominatur. »

Simplicitati opponitur hypocrisis, quae virtutum simulatione clausum vitium abscondit ad arte palliat, quam proinde acriter passim insectatur Scriptura. Hypocrita enim est vulpes, histrio, Mercurius triceps et similia in purpura. Ut camelopardalis collo refert equum, pedibus et erubus bovem, capite camelum, maculis tigris aut pardum: ita inter hypocrisis sunt qui variis hominum formas expriment. Si cultum insipias, sanctum quempiam esse existimes; si orationem audias, satrapam loqui putes; si vitam expendas, nebulonem inventis; si scripta, bubuleum. Vide S. Gregorium, lib. X *Moral.*, cap. xxvii, in illud: « Deridit justis simplicitas, » ubi graphice simplicium, aequae ac duplicium sensa et mores depingit; et Climacum, *gradu* xxv, ubi inter alia ait, simplicitatem esse habitum animae varietate carentem totiusque perverse cogitationis ignarum, et qui nulla mala cogitatione moveatur. Sic S. Paulus exhortans ad eleemosynam, jubet ut eam faciat in simplicitate: « Qui tribuit, ait, in simplicitate, » *Rom.*, cap. xii, vers. 8. Vide ibi dicta. Simpliciatas insignis et primivae fidelium simulacra, domesticum in Societate habemus exemplum et speculum R. P. Paschasium Broetum, qui, unus e decem primis Patribus

Simplicitas physica et moralis quid?

Voluptas Christiana.

Hypocrita enim.

S. P. N. Ignatii sociis, creatus Nuntius Apostolicus per Libaniam, ac prae cæteris omnibus a S. Ignatio dignus iudicatus patriarchatu Æthiopiæ, ob rarum sapientiam et sanctitatem cum miro candore et simplicitate conjunctam; adeo ut ab eodem Societatis angelus nuncuparetur. Sic enim de eo scribit noster Saechinus, tom. II *Hist. Societ.*, lib. VI, num. 97: « Propria ejus laus dicebatur simplicitas mixta prudentiâ. Hanc principio complexus, toto vite cursu tenuit. Hanc prædicabat ipse frequenter, et commendari ab omnibus cupiebat; » idque tribus de causis: « Prima, quia materia maxime capax celestium donorum simplicitas est: perennis fons beatæ cordis tranquillitatis, impenetrabile diabolo munimentum, virtutum cæterarum conciliatrix, alitrix et deus. Nam quod in ore formoso est hilaritas, hoc est in virtutibus quasi vultu simplicitas. Secunda, quod ipsa sit aliene benevolentie rapax illicitum. Nihil enim ita blandum et amabile, ut candidum et apertum, et cui te securus credas, ingenium; ut nescius cuiquam nocere, ac cuivis prodesse paratus animus. Tertia, quod simplicium congressu et Deus et homines iustitice delectantur. Denique simplicitas in eum maxime statum reponit humanam sobolem, unde serpentis frans parentem primum dejecit. » Simplicitatis quoque illustre nuper dedit exemplum Illustrissimus Cardinalis Bellarminus; adeo ut, cum quidam liberius diceret eum non fuisse euectum ad pontificatum, eo quod haberetur simplex, candidè et hilariter responderit: « Felix simplicitas, quæ me tanto onere liberavit! »

47. COLLAUDANTES DEUM. — Notat eos post eubum gratias egisse Deo, eumque de suis alimentis quasi donis collaudasse. Hinc post agapen canebant Deo hymnos et cantica spiritualia, ut ait Apostolus, *Ephes.* v. 19. Qui rursum, I *Tim.* iv. 4: « Nihil, inquit, rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. » Vide ibi dicta.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Sanctus Petrus claudo gressum restituit; inde docet populum se hoc miraculum non sua, sed Christi virtute effectisse, ut in eum credant.

2. Petrus autem et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. 2. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suæ, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, ut peteret eleemosynam ab introentibus in templum. 3. Is cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. 4. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne, dixit: Respice in nos. 5. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. 6. Petrus autem dixit: Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu

ET HABENTES GRATIAM, — id est amabiles, grati et accepti toti plebi. Pro gratiam, Syrus vertit ἡ χάρις, quod significat visceralem affectionem, et ex infimis visceribus manantem compassionem, amorem et benevolentiam. Porro hanc gratiam et dilectionem populi fidelibus « conciliabat beneficentia eleemosynæ, et morum candor atque simplicitas, » ait S. Chrysostomus; item modestia, mansuetudo, sanctitas in vultu, verbis omnique actione relictis.

DOMINUS AUTEM AUERAT, — ἀπερτίθη. id est addebat numero cœterique fidelium, puta Ecclesiam, ut habet Græcus, de quo mox, plures alios « qui salvi fierent, » inspirando eis fidem et desiderium baptismi ac Christianæ vitæ, quibus iustificarentur, et, si in illis usque ad vitæ finem perseverarent, salvarentur et æternam beatitudinem consequerentur.

IN IURSUM, — id est simul, videlicet in Ecclesia, ut habent Græcus et Syrus. Porro Græcus ἰνὴ ἐν ἀντὶ, id est in idipsum, rejicit ad initium capitis sequentis. Verum videtur Lucas scripsisse hic ἰνὴ ἐν ἀντὶ, quod aliquis explicaverit addens in margine, ἢ ἐκδοθέν, id est in Ecclesia; quod deinde ab alio putante hoc ad textum pertinere, in textum translatum est, excluso ἰνὴ ἐν ἀντὶ in caput sequens. Sed quocumque modo legas, idem est sensus. In idipsum enim idem est quod simul, pariter, puta in Ecclesia, ut dixi. Denique tam exacte S. Lucas hic et insequentibus enarrat virtutes et vitam primorum fidelium, quia ipsa fuit interpretatio Evangelii et praxis doctrinæ Christi, quæ ejus legem nobis ad vivum facit exprimit, ac proinde ipsa nobis viva est lex et norma vitæ Christiana. « In Sanctorum vita cognoscimus quid in Scriptura legere debeamus, » ait S. Gregorius, hom. 10 in *Exech.* Et vice versa Evangelium et « lex scripta est commentarius vite Sanctorum, » ait Philo, lib. *De Abraham.*

Christi Nazareni surge, et ambula. 7. Et apprehensa manu ejus dextera allevavit eum, et protinus consolidatæ sunt bases ejus et plantæ. 8. Et exiliens stetit, et ambulabat; et introivit cum illis in templum ambulans, et exiliens, et laudans Deum. 9. Et vidit omnis populus eum ambulantiem et laudantem Deum. 10. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi; et impleti sunt stupore et extasi in eo quod configerat illi. 11. Cum teneret autem Petrum et Joannem, incurrit omnis populus ad eos ad porticum quæ appellatur Salomonis, stupentes. 12. Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? 13. Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. 14. Vos autem sanctum et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis; 15. auctorem vero vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus. 16. Et in fide nominis ejus hunc, quem vos vidistis et nostis, confirmavit nomen ejus: et fides, quæ per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. 17. Et nunc, fratres, scio quia per ignorantiam fecistis, sicut et principes vestri. 18. Deus autem, quæ prænuuntiavit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, sic implevit. 19. Penitentini igitur, et convertimini, ut deleantur peccata vestra, 20. ut cum venerint tempora refrigerii a conspectu Domini, et miserit eum qui prædicatus est vobis, Jesum Christum, 21. quem oportet quidem celum suscipere usque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os sanctorum suorum a sæculo Prophetarum. 22. Moyses quidem dixit: Quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis juxta omnia quæcumque locutus fuerit vobis. 23. Erit autem: omnis anima quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. 24. Et omnes Prophetæ a Samuel, et deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos. 25. Vos estis filii Prophetarum, et testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. 26. Vobis primum Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis, ut converterat se unusquisque a nequitia sua.

1. PETRUS AUTEM ET JOANNES. — Græcus præfigit ἰνὴ ἐν ἀντὶ, id est in idipsum, hoc est simul, pariter. Verum hoc pertinet ad finem capitis præcedentis, uti jam dixi: licet Cajetanus, Pagninus, Tigurina et alii referant hoc ad cap. III, q. d. Petrus et Joannes ascendebant in templum simul et pariter; vel, ut Cajetanus, sub idem tempus, quo sollicitæ gesta sunt ea quæ audivimus cap. II. Notat S. Chrysostomus combinationem Petri et Joannis, tam hic quam cap. VIII, 14, et Joannis XX, 3, indicem magnæ inter utrumque conjunctionis et amicitie, ut suo exemplo doceant Prælatos et capita congregationum unionem et concordiam. Erant enim hi duo primarii, et quasi duo oculi, non tantum Ecclesie, sed et Apostolorum. Nimirum sequuntur institutum Christi, qui Apostolos binos misit ad evangelizandum, *Math.* vi. 7. Hoc exemplum sequuntur Religiosi, qui nunquam soli, sed semper cum comite, qui vite sit testis et adjutor, incedant; adeo, ut S. Thomas Aquinas Religiosum, qui solus incederet, vocare sit solitus demonem solitarii. Hoc enim inter cætera

ejus apophthegmata recenset Castiglius in ejus Vita.

ASCENDEBANT IN TEMPLUM. — Templum enim situm erat edito loco in monte Sion, ut toti urbi esset conspicuum, ad quod proinde per gradus ascendebatur, in quibus multi censent recitatos fuisse psalmos, qui inde Graduales dicuntur. Templum enim est domus, uti Dei altissimi, ita et orationis, quæ colloquimur cum Deo, et ad Deum mente ascendimus. Oratio enim est mentis in Deum elevatio: ita S. Chrysostomus. Porro templum hoc erat atrium laicorum, non Sanctum, multo minus Sanctum sanctorum: in illud enim solus sacerdotibus Aaronicis, in hoc soli pontifici semel in anno patebat ingressus.

Disce hic contra hæreticos, meliorem esse orationem quæ fit in templo quam alibi, idque quinque de causis. Prima est, quod oratio in templo sit publica Dei invocatio, laus et adoratio coram tota Ecclesia, ideoque major et honorificentior Deo, quam quæ fit alibi solitaria. Secunda, quod in templo quasi in domo sua habitet Deus,

Melior est oratio in templo quam alibi, uti quædam h. e. b. quatuor causas. Prima, Secunda.